DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

QUANTITATE VOCALIUM
LATINAS VOCES TERMINANTIUM

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN UNIVERSITATE BASILIENSI

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

JOANNES STADELMANN LUCERNENSIS.

LUCERNÆ
TYPIS J. L. BUCHERI
MDCCCLXXXIV.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

QUANTITATE VOCALIUM

LATINAS VOCES TERMINANTIUM

QUAM

AD SUMMOS HONORES

IN UNIVERSITATE BASILIENSI

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

JOANNES STADELMANN LUCERNENSIS.

LUCERNÆ

TYPIS J. L. BUCHERI

MDCCCLXXXIV.

Signorum explicatio.

KZ = Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung u. s. w. begründet von A. Kuhn.

St. Z = Zeitschrift für Völkerpsychologie und Sprachwissenschaft herausgegeben von M. Lazarus und H. Steinthal.

BB = Beiträge zur Kunde der indogermanischen Sprachen herausgegeben von Dr. Adalbert Bezzenberger.

De quantitate vocalium latinas voces terminantium.

Quamnam mihi materiam ad doctoris dignitatem rite impetrandam sumerem, mecum reputans, consilium cepi, ut eam sententiam, quæ in St. Z. XIV 289—336 adumbrata est, intra latinæ linguæ fines exponerem, eam dico sententiam: finales vocabulorum syllabas ceteris multo magis correptas extenuatas mutilatas falso existimari, et leges uniuscujusque linguæ proprias in extremis quoque vocabulis, non communem quovis modo deterendi et infirmandi libidinem dominari. Multi enim viri docti ut lapillos in rivo ita vocabula usu loquendi imminui sibi persuadent neque dubitant mutilationes syllabarum finalium statuere, quæ sæpe neque in omnibus ejusdem generis formis acciderint neque reliquis ejusdem linguæ legibus congruant neque denique certis finibus circumscriptæ sint. Leges autem in hac provincia, ut jam dixi, vigere necesse est neque hodie licet docere quod Boppio licuit gramm. compar. II § 425, Froehde BB VII 104 adhuc docet, v. c. i breve in fine latinorum vocabulorum partim evanescere, partim in e breve extenuari, conditionibus quæ hoc quæ illud requirant omissis; quæ si investigari non poterint, aut ut pereat i breve, aut ut in e transeat legem esse confitendum erit; utram demus legem, religiosa omnium quæ huc pertinent formarum disquisitione apparebit. Ad hanc de i brevi quæstionem quamquam respondebo, tamen extra eas res, quas tractaturus sum in dissertatione mea, posita est. Opus enim finales syllabas latinæ linguæ examinandi aggressus totam materiam si disseruissem, dissertationis ambitum multum me excessurum mox intellexi; relictis igitur, utrum perierint necne literæ finales, deinde an ex longis correptæ sint breves vocales ante consonantes finales quæstionibus, tertiam tantum partem tractandam mihi proposui, quæ ad puras vocales finales spectat.

Atque hic est cardo, circa quem tota dissertatio vertitur, hic finis, quo omnia ejus capita vergunt: omnino non corripi puras vocales finales, quicquid dicunt viri docti; nam contrariam sententiam ut decretum, quod ab illa generali opinione pendeat imminui quocunque modo vocabulorum partes finales, promulgant potius quam ut eam per omnes linguæ formas via ac ratione demonstrent; quam rem ego facere conabor. Una tamen exceptio est, quæ longe pateat: jambica vocabula *) præsertim usu trita sensuque debilitata scenici sæpissime corripiunt; immo nonnulla, quæ jam ab initio a proprio sensu deflecterent ad generales notiones, non aliter nisi correpta vocali apud scenicos ipsos leguntur, ut benĕ malĕ, nisĭ quasĭ, ex quibus duo posteriora quidem cum sī conjunctione composita esse nemo infitiatur. In aliis vocabulis quando et longa et brevis vocalis invenitur, aut duas diversas formas esse, quæ nunquam quicquam inter se commune haberent ostendi potest, aut vocalem omnino longam non fuisse demonstrandum est scenicorum**) locis excutiendis. Ex quibus Terentius paulum difficultatis exhibet, ut cujus sermo ad normas quasdam redactus sit et elegantius limatiusque dicendi genus prodat; eo majorem Plautus. Ejus sermo utrum ex codicibus sit existimandus an ex ea imagine, quam sibi quisque cogitatione finxerit, magnamne antiquarum formarum vim ut amnis secum volvat an sparsas quasdam reliquias, utrum hiantes vocales syllabæque ancipites, quas Terentius sibi non concessisset, tollendæ sint necne, et si tollendæ, utrum consuetis conjecturis verborum inversionibus vocularum intercalationibus, an d litera affigenda longisque vocalibus finalibus, quas subsequens ætas ignoraverit, statuendis — maxime dissentiunt inter se editores, interpretes, omnes qui Plauto operantur. Ego certe si non multum codicibus tribuatur, non video, quanam alia re insistamus; sed non ita sunt venerandi, ut etiam vitia conspicua, quæ eis adhærent, sequamur. Ut ex eis rebus, quæ dissertatione mea continentur, exemplum depromam: ars, quæ dicitur linguas comparandi, *e* vocativi sing. II æ declin., imperativi IIIæ conjugationis, tum -is -it quibus IIa et IIIa persona sing. ejusdem conjug., -mus -tis quibus prima et secunda persona plur.

---

*) Vide F. C. W. Mülleri Plaut. Prosod. 83—224.

**) Saturninos dubiæ naturæ versus plane neglexi.

omnium conjugationum terminatur, -bus dativi et ablativi plur., -ius comparativi non posse non brevia esse ita docet, ut cum eo, qui longa esse asseverat, non amplius opus sit disceptare; omnes igitur versus, qui longas in his formis vocales præbent, corruptos esse persuasum mihi est, et si qua dubitatio, brevisne an longa sit vocalis finalis, exoritur, diligenter scrutabor, num eodem versus loco eisdem conditionibus vocales illæ, quæ haud dubie breves sint, deprehendantur; quo plures versus, nulla macula aspersos, congesserim, eo magis dubias vocales ancipites esse probasse mihi videbor, i. e. vocales natura breves, quæ longarum munere fungantur. Praeterea si cognatis dialectis linguisve brevis vocalis concinit aut facilis est ad explicandum, nihil ultra æquus judex desiderabit. Neque illos versus suspicione libero, in quibus vocabula usitatissima sensu levia vel adeo auxiliaria longis vocalibus finalibus, apud posteros incognitis, onerentur; nam quæ sensu levia sunt, sonos plerumque leves requirant, et eadem, quæ St. Z. XIII 91—105 de verbis exposita sunt, nominibus quoque adhiberi possunt. Itaque idem de textu Plautino sentio, quod Vahlenus in præfatione editionis Menæchmorum suæ et ad rationem suam defendendam Hermæ vol. XVII pag. 599—609 atque potissimum 610—622 disseruit: nullis sive de sermone sive de versu judiciis præoccupatos nos, si quando emendatas Plauti fabulas spectare vellemus, prius eam textus formam restituere debere, quæ proxime ad codicum traditionem accederet manifestis scilicet mendis sublatis; hæc enim menda velut āmo āmicus āmor, qualia C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. pag. 20 annot. magna cum voluptate conquisivit, eis versibus, qui sine mendis traditi sunt, autoritatem fidemque detrahere non possunt. Sed nunc opus aggrediar, in quinque partes divisum, formasque, quæ A E I O U vocalibus terminantur, deinceps tractabo.

I. Formæ quæ in A terminantur.

1. A nominativi singularis primæ declinationis.

Nominativum sing. primæ declinationis longo quoque A elatum quondam fuisse intelligimus ex versibus qui sequuntur:

a. in metro jambico:

Asin. 762. *Ne epístulă quidem últa sit in aédibus*
Nec cérata adeo tábula

Bacch. 255. *Volcánus Sol Lună Dies di quáttuor*

in quo versu facile describentium errore deorum nomina transponi poterant.

Curc. 461. *Sequímimi : : Leno, cáve in te sit moră mihi*

Merc. 26. *Inéptiă stultítiaque adeo et témeritas*

b. in metro cretico et bacchiaco:

Trin. 251. *Nóx datur : dúcitur fámiliā tóta*

Bacch. 1128. *Pol hódie alteră jam bis détonsa certost*

Truc. II 5, 8. *Lucrí causa avárā probrúm sum execúta*

Cas. III 5, 53. *Quid úxor meă non adiít atque adémit*

Ad hos versus, qui syllabam longam haud dubie præbent, alii accedunt, in quibus A aut per ipsius arseos vel cæsuræ principalis vim anceps est, aut arsis longæ in duas breves solutæ prior pars est, quæ ictum habet; aliquot loci sive textus sive metri confusione ita laborant, ut nihil inde effici possit. Sunt enim hi loci, quos secundum metrorum rationem disposui:

a. in hexametro:

Enn. ann. 148 V. *Et densis aquilă pinnis obnixa volabat*

Syllaba A vocabuli aquila anceps est, quippe quæ cæsuram penthemimeris efficiat. Cujusmodi versus, in quibus syllabæ

antiquitus breves cæsura penthemimeris producuntur, apud Ennium et Vergilium quoque satis multi possunt deprehendi, quales sunt:

Enn. ann. 247. *Quocum multa volŭp ac gaudia clamque palamque*
v. 484. *Multa foro ponĭt et agœa longa repletur*
Verg. Aen. I 668. *Litora jactetŭr odiis Junonis acerbæ*
II 563. *Et direpta domŭs et parvi casus Juli*
V 337. *Emicat Euryalŭs et munere victor amici*

Enn. ann. 484. *Multa foro ponit et agœa longa repletur*

Lectio hujus versus non satis certa est; ut vera sit lectio Vahleni, tamen ex agœa vocabulo A nominativi longum esse conjicere non possis; nam primum quidem cæsuram bucolicam habemus ut in v. 86 *omnibus cura viris uter esset induperator*; tum A longum, si quidem longum est, ex græca quæ conjici potest origine explicare et excusare possumus. Cof. Neue „Formenlehre" I² pag. 5.

Gellius I 24, 3. Plauti epitaphium sic tradit ex versibus hexametris, ut videtur, compositum:

Postquam mortĕ datust Plautus, comœdia luget;
Scena est desertā, dein risus ludus jocusque
Et numeri innumeri simul omnes collacrumarunt.

De mensura deserta vocis idem dicendum est, quod supra commemoravi ad Enn. ann. 148, si quidem hexametrum habemus; versus enim antecedens dativum brevi syllaba mortĕ præbet, quali nunquam Plautus usus est. Jtaque nescio an hos Gellii versus cum Neue „Lat. Formenlehre" I² pag. 195 saturninos potius quam hexametros esse putem; illos autem versus a me prorsus negligi jam supra dixi.

b. in metro jambico et trochaico:

Epid. 487 (498). *Ego ístunc hominem núnquam audivi ante húnc diem*
Neque mé quidem emere quísquam ulla pecúnia
Potuít: plus jam sum líberá quinquennium

Poen. 85. *Altéra quinquennis, álterá quadrímula*
Cum nútrice una périere a magálibus

Ex duobus his versibus ut A nominativi longum sit non

sequitur, quum syllaba antiquitus brevis eodem loco collocata producatur per vim arseos in versibus hisce:

Men. 327 (324 V.) *Proin tú ne quo abeas lóngiùs ab aédibus*

Comparativi formam -ius brevem esse nemo jam neget, qui -yas sanscr., -je(s) ex -jo(s) palæoslav. respexerit. Vide Brugmannum in K Z XXIV pag. 56 et 57 annot.

. . . *Non tibi*

Men. 505 (495 V.) *Sanum ést adulescens síncipùt intéllego*

Ad mensuram sincipút prohibendam Ritschelius quum primo sincipitium vocabulum, quod nusquam invenitur, supposuisset, deinde cum Camerario et Brixio particulam ut post vocabulum sinciput interseruit. Quam quidem Ritschelii et interpositionem et suppositionem Vahlenus in Hermæ XVII pag. 606 refutat, quum dicit: ‚Et tamen nos in has angustias redacti, ut corrigendo nec numeris nec orationi prosimus, perstamus in eo, Plautum non potuisse „sincipút intellego" dimensum esse: quod credendum erat, etiamsi hoc unum extaret exemplum.' Neque verborum inversionem, quod remedium et facillimum videtur et sæpissime adhibetur, Vahlenus in nostro versu probaverit, cum in alio verso respuerit. ‚Quid, inquit, proficimus, si invertimus ‚Potuit: plus jam quinquennium sum libera', versus forma adhibita, quæ tametsi tolerabilis est, nisi criticorum beneficio creata esset, ab iis ipsis quibus debetur, haud dubie mutaretur in eam quæ tradita est.' Quid ergo aliud superest, quam ut horum versuum formam, qualem nobis boni codices præbent, et integram judicemus et intactam relinquamus?

Capt. 11. *Negát hercle illic últumùs accédito*

in quo versu post vocem ultumus pausa fortasse ponenda est propter necessitudinem protaseos et epitaseos.

Vidul. *Quum míhi, qui vivam, cópiàm inopí facis*

in Hermæ I pag. 295 e Studemundi lectione; hujus consimiles alios Muellerus præbet Plaut. Prosod. pag. 536 sq.

Adel. 25 *Poétæ ad scribendum aúgeát indústriam*

In hoc versu tametsi Spengelius et Dziatzko vestigium quoddam pristinæ conjunctivi mensuræ remansisse putant, tamen minime verisimile est, Terentium elegantem usus loquendi existimatorem antiquas et suæ ætati incognitas mensuras revocasse,

neque alium ejus versum viri docti protulerunt, unde t finale longam ante se vocalem habuisse demonstrarent.

Trin. 187. *Pausá: vicisti cástigatorém tuom*

Sic libri. Brixius in prima Trinummi editione pausa vocem imperativum verbi cujusdam esse, quod nusquam alias legeretur, negavit, et pro nomine in antiquiore latinitate satis usitato accipiendam esse dixit, quamvis A finale longum esset; A enim nominativi primæ declinationis longum antiquitus esse et hanc quantitatem exempla aliquot bellorum Punici et Macedonici temporibus assignanda fideliter servasse. Altera vero et tertia editio præbet παυσαι, quod literis græcis scriptum esse in palimpsesto Ambrosiano affirmat Studemundus in Hermæ I pag. 304.

Hecyra prol. 2. *Hecyræ huice nomen fábulæst: hæc quóm datast*
Nová, novom intervénit vitium et cálamitas

,Ei' subjungere, quod nemo desiderat, satis obsoletum videtur remedium. Nonne quem modo descripsi versum 11 Captivorum prologi hunc quoque tutatur? Certe quisquis horum versuum auctor fuit, Terentium A nominativi primæ declinationis longum dimensum esse vix quisquam crediderit.

Men. 148 (146 V.). *Úbi aquilá catameítum raperet aút ubi Venus Adóneum*

Quamquam Brixius in prima hujus comœdiæ editione aquila vocabulum anapæstum potius quam tribrachum esse putat, tamen syllaba A longa sit necesse non est; nam arsis longa in duas breves syllabas solvi potest, quod idem habes in úbi ăqui-la.

Trin. 837. *Rúere antémnas scíndere véla: — ní pax propitiá foret praésto*

in quo versu -á fŏret dimetiri possis. Lectio et metrum est Hermanni Ritschelii Fleckeiseni Brixii in prima et tertia editione: codices exhibent: *tua pax propitia* excepto codice A, qui præbet *tua propitia pax*. In secunda autem editione Brixius codicem A secutus hunc et qui circa sunt versus anapæsticos octonarios dimensus est, quo longum nominativi A tollitur.

Mil. glor. 355. *At métuo ut satis sis súbdolá :: cedo vél decem edocébo.*

Syllabam A vocabuli subdolá in cæsura non necessario

longam esse efficitur ex versibus sequentibus, in quibus vel hiatum vel syllabam ancipitem habes:

Mil. glor. 1216. *Era, éccum præsto mílitém : : ubíst : : ad lævam vídeo.*

Hecyr. 840. *Multa éx quo fuerint cómmodá incómmoda æquomst férre*

Eun. 593. *Jit lávit rediit, deínde eám in léctulo locárunt.*

Accedit personæ mutatio, quæ syllabam ancipitem admittit.

Adel. 348. *Postrémo quando ego cónsciá mihi sum, á me culpam esse hánc procul.*

quocum conferamus Andr. 957*) *Províso quid agat Pámphilús atque éccum : : aliquis me fórsitan* ubi syllaba brevis ictu anceps fit. Denique omissa cæsura in hoc et in eo qui præcedit versu mil. glor. 355 -lá ce- et -á mi- syllabas in singulas arses conjungere possis, ut. v. c. Adel. 621 *satis diú dedisti vérba, sat adhuc túa nos frustratást fides.*

Pseud. 964 R. *Péregriná faciés videtur hóminis atque ignóbilis*

Trin. 852. *Hílaricá faciés videtur hóminis: eo ornatu ádvenit*

Pseud. 379. *Háec sententiá meast. at tu hinc pórro quid agas cónsulas*

Pers. IV **4, 10.** *Nóna injuriá, decimum quod péssumum aggressú, scelus*

Aulul. II **2, 83.** *Núlla controvérsiá mihi técum erit; sed núptias*

Pes sive secundus sive tertius sive quartus tribrachus esse potest in omnibus his versibus, quibuscum comparemus versus sequentes, quorum pedem secundum tribrachum esse apparet:

Capt. 645 B. *Súbrufús aliquántum, crispus, cíncinnatus : : cónvenit*

Pseud. 363 R. *Sácrilegé : : Fateór : : Perjure : : Vétera vaticinámini*

Ceterum multos alios versus afferre difficile non est, in quibus A nominativi primæ declinationis a duabus brevibus syllabis excipitur.

*) Sic Fleckeisenus Spengelius Meissnerus e Hermanni conjectura dimetiuntur; aliter Bentleyus.

c. in metro anapæstico:

Mil. glor. 1065. *Tum argénti montes nón massas habet: Aétna non æque áltast.*

Longum A vocis Aetna Brixius dicit a nonnullis inde explicari, quod hujus montis nomen Romani e dorica dialecto transtulerint. Ritschelius transpositione facta scribit: *Aétna æqué non altast.* Codd. ethna mon non æque altus.

Pseud. 948 R. *Jbĭdem úna aderit muliér lepidá, super sávia quæ tibi sávia det.*

Consimilis locus est:

Mil. glor. 1012. *Homo quídamst qui scit, quód quæris ubi sít :: quĕm ego hic audívi?*

d. in metro cretico et bacchiaco.

Pseud. 1278 R. *Ubi | círcumvortór cado: íd fuit néniá lúdo.*

Hanc quidem lectionem præbet Buechelerus (Windek. § 43) in lat. decl. pag. 9, ubi ex hiatu vocabuli cado A quoque nominis nenia anceps esse merito conjicias; Ritschelius autem scribit et dimetitur: *círcumvortór cado: nénia ludo íd fuit;* Lorenzius denique scribit et dimetitur:

[Út me amarét: ubi] círcumvortór, cado:
Id fuit lúdo nénia.

Propter dubiam metri rationem de quantitate A vocalis nenia formæ nihil constat.

Men. 762 (753 V.) *Quidnam hóc sit negóti, quod fílĭá sic*
Repénte expetít me | ut ád sese írem.

Hi duo versus, ceteris ex puris bacchiis compositis, dimetros bacchiacos clausula exceptos jambica efficiunt. Brixius in additamento critico, qualem codex B lectionem et divisionem præberet, talem se, dum aliquis melius invenisset, retinuisse annotat. Neque hic igitur versus quicquam probat.

Jam vero videamus, quid censendum sit de quantitate vocalis A, in quam nominativus sing. primæ declinationis terminatur. Nonnulli certe loci sive septem sive octo, quos primos posui, restant, in quibus nisi arbitrariis interpositionibus et inversionibus A longum e medio tolli nequeat. Sed. C. F. W. Muellerus Plaut.

Pros. pag. 9, num tanta exemplorum paucitas contra innumera fere A brevis exempla quicquam valeat, suo jure dubitat. Atque haud cunctanter ei assentirer, si id ageretur, utrum Plautus syllabam longam in plurimis vocabulis corripuisset, an brevem in paucissimis produxisset; nam persuasum mihi est suis cujusque linguæ legibus physicis omnia sine ulla exceptione vocabula esse obnoxia. Verum prorsus A breve ex A longo imminutum esse nobis infitiandum est, syllabam A in numeralibus cardinalibus trigintā qradragintā ectr. semper longam remansisse reputantibus, et si quod A longum in fine vocabulorum sit, conservari affirmandum; aut ergo illud A nominativi singularis longum omnino nihil cum A brevi ejusdem formæ commune habet, aut reapse longum non est, sed longum esse videtur. Quocirca non metuo, ne quis zendicam nominativi formam [daēna ‚lex', nārika ‚uxor', kanja ‚virgo'], quæ A semper breve habet, unde corripi posse latinam argumentetur, mihi opponat; lex enim latinæ linguæ incognita in zendica valet, ut A longum in fine vocabulorum breve fiat, quæ ex haχa i. e. sakhā, -hva i. e. -svā locativi pluralis, gara i. e. ved. girā girāu locativi singularis ectr. elucet. In latina vero lingua A longum alterius formæ, A breve alterius esse ut demonstrem, in alias quoque Italiæ dialectos inquirendum mihi est.

Ac primum quidem de A umbrico Mich. Bréal in libro qui inscribitur ‚Les tables Eugubines' p. 340 (cf. p. 319) hæc docet: Le nominatif singulier est en A: mais cet A peut s'obscurcir en U. A cinq lignes de distances, sur la même inscription, nous avons: pant*a* mut*a* i. e. quanta multa, et: etant*u* mut*u* i. e. tanta multa. Comme il s'agit d'une inscription en caractères étrusques, nous ne pouvons affirmer, si cet U représente le son O ou le son U. — Le vocatif est toujours en A: Tursa Jovia (bis), Tursa Çerfia (bis), Prestota Çerfia (undevicies). Quam miram intra veterem quæ dicitur Umbrorum dialectum variationem cave confundas cum illo discrimine, quo vetus pihāz piatus kunigāz conixus a recentiore pihos conegos discrepant. Itaque Umbri in nominativo primæ declinationis etiam duabus diversis vocalibus utuntur promiscue, et ut ex A fortasse longo breve quod suspicor U vix quisquam serio repetere audebit, ita in latina quoque

lingua A longum et A breve antiquitus alterum juxta alterum usurpatum esse existimo.

Tum lingua osca semper fere præbet O, ex. grat. vio i. e. viă, vítelio i. e. Italiă, molto i. e. multă [cof. Bruppacher: Versuch e. Lautl. d. osc. Spr. p. 16; 45], quam O literam si A brevi Latinorum comparare licet, in osca dialecto idem quod in latina lingua accidit, ut brevior nominativi vocalis longiorem loco moverit.

Denique huic, ad quam nos italicarum dialectorum rationes compellunt, sententiæ linguæ cognatæ non solum adstipulantur, sed lucem quoque exoptatissimam affundunt; quam enim in uno nominativo italico animadvertimus vocalium discrepantiam, eadem inter nominativum et vocativum linguarum græcæ, slavicæ, sanscritæ ita apparet, ut aut clariorem aut longiorem vocalem nominativus, graviorem aut breviorem vocalem vocativus occupet, ex. gr. νυμφη νυμφα, slav. ryba rybo, sanscr. amba ambă. Inde quis non statim intelliget, U umbricum, O oscum, A breve latinum primitus vocativum designasse, postea demum nominativi partes suscepisse? Mensa igitur nominativus est, mensă vocativus; cof. St. Z. XIV pag. 328 sq. Jam vero qui factum sit, ut vocativi forma nominativi locum obtinuerit in sermone latino, non admodum difficile est ad dispiciendum: quum enim D ablativi evanescebat, forma ei eadem obtingebat, quæ nominativo fuerat, quam confusionem vix tolerabilem Romani vocativo in nominativi locum substituendo prudenter evitarunt, præsertim quum in tertia quarta quinta quoque declinatione nominativus et vocativus nulla unquam sonorum diversitate distincti fuissent; quam sententiam etiam temporum rationes confirmant: nam Buechelerus p. 9 [Windek. § 43] quo tempore ablativus mensā D finale amiserit, eodem fere nominativum mensă in mensā pristini locum successisse dicit. Sed hoc discriminis animadvertamus oportet: in prima declinatione vocativus nominativi partes agit, in ceteris excepta secunda declinationibus vocativi munus nominativus arripuerat, quod apud Umbros etiam in prima declinatione usu venit, cujus vocativus semper in A nominativi desinit, non, ut ex latina lingua exspectaveris, in U sive O.

Itaque tantum abest, ut syllaba antiquitus longa corripiatur, ut alterum casum alteri cessisse censendum sit, id quod in variis declinationibus variisque dialectis vario modo fieri poterat; ceterum quæ hoc capite disserui, alio quo A neutrorum pluralium tractabo capite plane confirmabuntur.

2. A nominativi sing. græcorum nominum propriorum fem. generis.

Quamquam A vocalis, qua græca feminini generis nomina terminantur, longa est, tamen conspicuum syllabæ longæ vestigium inveniri nequit; nam ne versui quidem

Bacch. 893. *Minérva Latoná Spes Opis Virtús Venus*

satis confido, quoniam ut in parili ejusdem fabulæ v. 255, quem supra exscripsi, facillime oculorum lapsu ordo nominum genuinus inverti potuit. Ac ne quis syllabam longam metro demonstrari posse speret, singulos scenicorum locos pertractabo. Sunt enim:

Most. 170 R. *Ita mé di ament lepidást Scaphá sapít scelesta múltum*

Syllabam A nominis proprii Scaphæ longam esse evinci non potest, quia versus septenarii et octonarii in quarti pedis arsi syllabam ancipitem admittunt; in versibus quidem sequentibus brevis eodem loco syllaba ponitur:

Heaut. 694. *Loquere: aúdio :: At jam hoc nón agis :: agám :: videndumst ínquam*

Heaut. 699. *At enim ístoc nil est mágis, Syré, meis núptiis advórsum*

Hec. 249. *Quod tú si idem facerés, magis in rem ét vostram et nostram ésset*

Syllabam ancipitem hiantem in versibus sequentibus habemus:

Hec. 830. *Eum haéc cognorit Myrriná | in dígito modo me habénte*

Vix admitti hiatu sublato mensura potest: *Eum haéc cognorit Myrrina ín digitó modó me habénte*, quamquam adverbii modō mensura, ut infra dicam, toleranda est.

Versus consimiles sunt:

Mil. glor. 394. *Eu hércle præsens sómniŭm: abi íntro et comprecáre*

399. *Nunc nóstrum observare óstiŭm: ubíst? :: At Sceledre quaéso*

1228. *Venerí pol habeo grátiăm eandémque et oro et quaéso,*

in quo ‚eandem' per synizesim proferendum est.

1239. *Si pól me nolet dúceré | uxórem genua ampléctar*

1273. *Postquám te aspexit :: Vírĭ quoquĕ armáti idem istuc fáciunt*

Hec. 243. *Etsí scio ego Philúmená, meum jús esse, ut te cógam*

Hec. 325. *Quo nám modo Philúmená mea, núnc te offendam afféctam?*

Phorm. 784. *Age dum, út soles, Nausístratá, fac ĭlla út placetur nóbis*

Cæsuram legitimam vel saltem usitatissimam poeta sive observaverit sive -menă mĕ- -strată fac syllabas in singulos pedes conjungendo neglexerit, A breve metro sufficit ut versus monstrant:

Haut. 698. *Si abdúxeris celábitŭr itidem út celata adhúc est*

Eun. 265. *Viden ótium et cibŭs quíd facĭt aliénus? :: Sed ego césso*

Eun. 1014. *Adeléscens, ni miserum ísupér etiám patri indicáres*

Adel. 619. *Accédo, rogito Pámphilá quid agát, jam partus ádsiet.*

Pamphilæ nomen eodem modo judicandum est, quo conscia in v. 348, de quo vide pag. 11; in hoc quoque versu Spengelius syllabam longam, Dziatzko autem brevem esse putat.

In versibus quos attuli A vocalem longam esse non est quod contendamus, quia alios versus subjunximus, qui eadem metri condicione syllabam sine dubio brevem præbent. Eadem argumentandi ratione usus, versus addo, in quibus græca feminarum nomina aliis quam in cæsura principali locis leguntur, scilicet:

Adel. 343. *Non fáciam :: Quid ages? :: Próferam :: Hem, mea Sóstratá vide quám rem agas*

Si inspexerimus versum

Adel. 336. *Patiámurne an narrémus quoipiam? :: Aú au mĭ homo, sánun es?*

pronomine mi legitime correpto arsim longam in duas breves solvi animadvertemus, quod ipsum in voces Sostrata vide cadit, quarum syllabæ -ta vi- arsim componant. Spengelius autem Sostratā dimetitur, Dziatzko contra quantitatem incertam esse censet.

Phorm. 865. *‚Sóphronă mŏdo frátrem huc' inquit ‚sénis introduxít Chremem'*

quocum confer

Capt. 645 B. *Súbrufus aliquántum crispus cíncinnatus :: Cónvenit*

Phorm. 1037. *Heús Nausistrată, prius quam huic respóndes temere, audí :: Quid est?*

ubi nihil cogit prius adverbium una syllaba proferre.

Denique aliquot locos satis dubios, ne quid desideretur, commemoro:

Epid. IV 1, 20. *Fác videam, si mé vis vivere. Ého istinc Canthară jube*

Ácropolistidém prodire fíliam ante aedís meam.

Hæc quidem est lectio et mensura Fleckeiseni, Gepperti autem . . . *Canthara statim,* qui quum hunc versum in codicibus varie et incerte traditum esse affirmet, nullius ad nostram rem momenti eum esse censeo.

Rud. 237. *Ámpelisca :: hém quis est :: égo :: Palæstráne :: Sum.* Creticis compositum. Codices Palæstra habent, Lachmannus conjecit Palæstrane; vide Muellerum Plaut. Prosod. pag. 7.

Quamquam igitur A finale græcorum feminini generis nominum longum esse certis exemplis affirmari non potest, tamen longum A in A breve correptum esse noli putare; nomina enim feminina græca, si quidem in A breve exeunt, ad latinorum quantitatem nominum se accommodarunt, quippe quæ Plautino jam tempore paucissimis exceptis A breve in nominativum singularem vidimus recepisse.

Apud doctos sane poetas posteriores Buechelerus l. c. pag. 9 syllabam A longam inveniri dicit ex. gr. Andromedā, Phædra;

sæpe tamen lectio variat, ut in Ovidii Metamorph. XIII v. v. 422. 548. 555 inter Hecubā et Hecube.

3. A nominativi sing. græcorum nominum masc. gen. in ας et ης desinentium.

Apud Latinos græca nomina propria litera s sublata usurpabantur, quorum A longum esse hi versus ostendunt:

Amph. 439. *Úbi ego Sosiá nolim esse, tú sane esto Sósia*

Asin. 740. *Leónidá, curre, óbsecro : patrem húc orato ut véniat*

Contra versibus qui sequuntur A longum esse probari nequit:

Enn. ann. 186. *Ajo te Aeacidá Romanos vincere posse*

ann. 18. *Doctusque Anchisá Venus quem pulcherrima dium Fata docet fari*

In his versibus cæsura semiquinaria, ne longum esse A pro certo affirmemus, prohibet.

Haut. 406. *Salve ánime mi : : O mi Cliniá salve : : Ut vales?*

Ejusdem modi versus sunt, quos ad Pœn. 85 supra collegi.

Haut. 688. *Ita crédo : sed nunc Cliniá | age dá te mihi vicissim*

Haut. 695. *Amíci quoque res Clíniá tui in túto ut conlocétur*

De his versibus consulamus versus subsequentes, in quibus hians syllaba brevis in cæsura est, quam item sequuntur duæ syllabæ breves pedis quinti:

Mil. glor. 397. *Timeó quid rerum gésserim : ita dórsus totus prúrit*

Mil. glor. 1269. *Indúxi in animum, ne óderim : item ut álias quando orásti*

Eun. 261. *Tum fácile victum quaérerĕ : homo coépit me obsecráre*

Sed hic versus minus idoneus est, quia infinitivus activi præsentis brevemne an longam ab origine syllabam extremam habuerit infra demum explorabo.

Phorm. 830. *Curávi propria ut Phaédriá poterétur, nam emissást manu*

in quo versu Phædriæ nomen eodem modo judicandum est quo Pamphilæ in Adel. v. 619 [vide pag. 16] et conscia in Adel. v. 348 [pag. 11]

Amph. 438. *Quís ego sum saltém, si non sum Sósiá? te intérrogo*
Amph. 828. *Námque de illo súbditivo Sósiá mirúmst nimis*
quo versus loco syllabam ancipitem concessam esse infra ad Men. 900 videbimus (pag. 29).

Duo versus sequentes in secundo pede tribrachum æque atque dactylum admittunt:

Phorm. 154. *Phaédriá, patrem ut éxtimescam, ubi véniat in mentem eíus adventi*
Phorm. 484. *Phaédriá tibi adést :: Ubinam? :: Eccum ab suá palæstra exít foras*
Eun. 558. *Chaéreá quid est quód sic gestis? quíd sibi hic vestítus quærit?*

In hoc versu secundus pes dactylus aut anapæstus aut tribrachus esse potest.

Andr. 301. *Quíd ais, Byrriá? daturne illa Pámphilo hodie núptum? :: Sic est*

Spengelius, qui dimetitur Byrriá datŭrne, mensuram Byrriá datur-ne rejicit sine causa probabili; contra Meissnerus A breve dimetitur.

Amph. 1024. *Sósia :: Ita, sum Sósiá, nisi mé esse oblitum exístumas*
ubi iterum -a n i s i dactylum aut tribrachum efficere potest.

Pseud. 699 sq. R. *Sed istic Pseúdolus*
Nóvos mihist :: Nimiúmst mortalis gráphicus : heuretá mihist.

Sic scribit Fleckeisenus in misc. crit. 22, heuretes libri et Fleckeisenus in editione, Lorenzius et C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. 10. εὑρετής, qua de causa hunc versum negligere nobis licet.

Syllaba igitur longa duobus Plauti exemplis demonstratur. Spengelius quidem ad Adel. perioch. 10 sententiam profert, A nominativi nominum græcorum trium vel plurium syllabarum a scenicis latinis nunquam corripi, Meissnerus contrariam ad Andr. 301: A nominativi et vocativi apud eos breve esse; Dziatzko medium quendam locum obtinet, quum ad Phorm. 830 certa A longi exempla nominum propriorum, quæ Græcis in ας desinentibus respondent, deesse apud Terentium annotet; cf. C. F. W.

Mülleri Additam. Plaut. Pros. pag. 2. Quæ virorum doctorum dissensio inde nata videtur, quod syllaba longa duobus solis exemplis quæ supra attuli constat, in reliquis autem A finale et longum et breve esse potest. Unum tamen exemplum A masculini correpti in septenario anapæstico extat:

Pseud. 944 R. *Ut ego ób tuam Símmiă pérfidiám te amo ét metuo ét magnífico*

ubi Plautum metro nimis indulsisse præstat fortasse statuere. Hoc dubium non est, quin A longum finale correptionem non acceperit; nam etiamsi Terentium hæc nomina in brevem syllabam terminasse concedamus, ingenti stirpium primæ declinationis copia, quarum Plautina jam ætate nominativi singulares in A breve desinerent, hanc græcorum nominum paucitatem superatam esse hoc quoque capite dicimus. Sed Plautum quidem longum semper A masculinorum nominum græcorum metro adhibuisse, duo exempla, quæ prima posui, quæ quomodo metricis rationibus explicentur, ignoro, testari videntur.

4. A ablativi sing. Imæ declinationis.

Ablativus sing. fem. primitus in ād desinebat, qui exitus in inscriptionibus servatus ex. gr. sententiad, Hinnād, praidād litera D sublata syllabam ā reliquit. Huic nominum ablativo præpositiones aliquot et adverbia adnumerantur quæ sequuntur:*) citra extrā intrā suprā infrā ultra contra fustrā circā ergā juxtā itā ităque.

Primum quidem tractandum mihi est de iis præpositionibus, quæ haud dubie originem ab adjectivis sive comparativis trahunt i. e. **citra extra intra supra infra ultra contra,** quamquam inter -ra -rum, ulter -ra -rum, conter -ra -rum aut nunquam in latina quidem lingua extiterunt aut plane ante literarum memoriam interierunt. Adjectivum tamen citer invenimus apud Afranium Prisciano teste III 4 § 22 Hertz: citimus . . . Afranius tamen etiam positivum ejus ‚citer‘ protulit in Patella teste Aruntio;

---

*) Istæ præpositiones ab oxytono themate extró- extrá-, supró- suprá ectr. repetendæ videntur, quod cum paroxytono extéro- extéra- supéro- supéra- in prisco paradigmate alternavit.

vide Ribb. com. lat. fragm. pag. 194. Et contro stirpis ablativus priorem contrōversiæ vocis partem efficit. Harum præpositionum vetustiores formæ in inscriptionibus servatæ sunt: exstrad et suprad, quibuscum eximie concinit Oscorum ehtrad.

Jam vero de his formis, quas huc usque pro ablativis fem. gen. nemo non habuit, longe aliam profert sententiam Mahlowius libri qui de longis A E O vocalibus linguarum Europæarum agit [1879] pag. 135; primum enim, si adverbia citra e. q. s. a. ablativi naturam haberent, ad substantiva feminina referenda esse dicit, quod in adverbiis dextra sinistra læva fieri possit atque adeo verisimile sit. A talibus vero substantivis fem. gen. in aliis quoque casibus usitatis extra supra infra præpositiones neutiquam proficiscuntur, quod sane nobis concedendum, at non mirandum est; nam nominum formas parte via regione manu deesse posse ipsa illa quasi adverbia dextra sinistra læva docent; dextra sinistra læva nominativi autem, non extra intra nominativi extant, quod illa res quæ sub oculos cadunt designant, hæc regiones definiunt, quæ non sensibus percipiuntur; rem enim aliquam extra vel infra alteram esse dicimus et debemus dicere; quid vero de extera vel infera parte ipsa prædicandum est, et si quid est, quis est qui prædicet nisi forte philosophus? Atqui de quo nihil prædicamus, id neque nomen esse potest neque nominativum habere.

Tum vetat Mahlowius hæc adverbia ex sola lingua italica explicari, quippe quæ jam ex primitiva lingua indogermanica originem trahant: nam infra esse sanscr. adharat, got. undaro, supra (umbr. subra) græc. υπερη-, got. ufaro, extra vet. hib. echtar, nov. hib. eachtar, intra vet. hib. eter etar, nov. hib. eadar, quæ adverbia omnia ablativos sing. masc. neutr. judicat. Non solum enim in lingua italica, sed jam in lingua primæva ablativum stirpium in ŏ desinentium in ād cecidisse, ita ut *equād *deād *filiād *magnād *eād in prisca lingua latina omnium generum essent; in reliquis autem casibus quum vocali ā stirpium femininarum vocalis ŏ stirpium masculinarum responderet, factum esse, ut ad similitudinem stirpium in a exeuntium stirpes secundæ declinationis in ablativo quoque o vocalem adsciscerent. Extitisse igitur *equod *filiod juxta e q u a d f i l i a d, quæ feminini

generis fierent; in adverbiis autem citrā infrā intrā contrā ultrā suprā quæ femininas formas, quibus se opponerent, non haberent, primitivam vocalem servatam esse. Ad quam sententiam confirmandam Mahlowius pag. 131 slavicum genetivum sing. arcessit stirpium masc. et neutr. in o desinentium, ex. gr. rabŭ: raba ‚servi', delo: dela ‚facti', krajĭ: kraja ‚marginis', quem genetivum ablativum esse in genetivi usum deflexum inter viros doctos constat.

Hæc omnia quamvis ingeniose et speciose disseruerit Mahlowius, habere mihi nonnulla videor satis gravia, quæ contra dicam. Ac primum quidem ipse magno cum pondere ablativum sing. secundæ declinationis exemplar quoddam fuisse, quod ablativi sing. reliquarum declinationum in linguis latina osca zendica imitarentur, asseverat, et ego prorsus consentio. Exemplar vero ille ablativus multo melius esse poterat, si salva vocali II^dæ declinationis propria -ōd sonabat, quod quam facile ād ūd id ēd creare potuerit quivis videt.

Tum ab ablativo sanscrito in -āt terminato ægre quisquam græcum ω[τ] adverbiorum in ως desinentium separet ex. gr. καλως pro καλω pro καλωτ, quod rursus libentissime cum latina forma -ōd consociabis; quocirca ejus mihi sententia probata erit, qui sanscr. āt, lat. ōd, græc. ω[ς] ut ex eodem fonte derivata videntur, ita derivata esse demonstraverit. At nunc quæso Mahlowium audi pag. 104 καλως ex καλωjας concretum esse dicentem, qua explicatione artificiosiorem me nunquam legere memini [Cof. Brugmanni et Osthoffi disquisitt. morpholog. III pag. 79 annot.].

Denique vocalis A slavica græcis et latinis vocalibus et ā et ō respondet; ratio igitur eadem est inter [rab-]a et [serv-]ōd quæ inter radices zna et γνω, da et δω, jas et ζως, inter stirpes jaro- et ωρο- et, quod propius abest, inter [rab]a et [δουλ]ω duales formas. Vide Miklosich. Vergl. Gr. I pag. 104 sq. de Saussure l. c. pag. 92 annot. et Mahlowium ipsum pag. 84. 88.

Rejecta igitur Mahlowii opinione nihil jam obstat, quominus præpositiones citrā extrā infrā intrā suprā ultrā contrā ablativos sing. fem. gen. plerisque consentientibus putemus. De contra autem præpositione sola accuratius agendum est, quod aliquot locos deprehendisse viri docti sibi videbantur, unde A finale breve

esse conjicerent. Bergkius enim in eo libro qui ‚de D priscæ Latinitatis finali' inscribitur pag. 82 commemorat, contra apud Ennium Nævium Lucilium finalem syllabam brevem habere. Singulos locos perlustremus:

Ennii trag. rel. 443. 444 ed. Vahl. . . . . *quis nos páter aut cognátus volet*
Contrá tueri? quem Varro sic tradit:

Quis pater aut cognatus volet nos contra tueri. Vahlenus igitur versum non hexametrum, quod vulgo credebatur, sed tragœdiarum esse, ut quem pronomine ‚nos' transposito ascripsit, Ritschelium secutus existimavit. Bergkius autem servato verborum ordine cóntră tuéri dimetiebatur, versum hexametrum esse ratus, neque Ribbeckius aliter sensisse videtur, qui eum nisi hexametrum legisset, inter tragœdiarum reliquias recipere debebat.

Alius Ennii locus est

Annalium v. 181/2 *(Vahleni ed.)* . . . . *Contrá carinantes*
Verba [atra] atque obscena profatus

quem ne omisso atra vocabulo comprehendas uno hexametro, mira ‚verba atque obscena' locutio et carinantes participii mensura versu 229

Nec me rem decet hanc carinantibus edere chartis discrepans prohibet; nam aut contră cărinantes aut contra carinantes hexametri initium foret.

In tragg. Rom. fragm. Ribb. [1871] pag. 278 **Nævii** versus sunt:

Réx Veiens regém salutat Víbe Albanum Amúlium
Cómiter seném sapientem: cóntra redhostis? Mín salust?

Possis scandere versum et cóntră red-hóstis et cóntra rédhŏstis usitata correptione, quem recitandi modum Ribbeckius in annotatione probat. Neque ceteri in scenicorum et tragicorum fragmentis loci ullam dijudicandi litem ansam præbent.

Apud Lucilium contră invenire non potui, nam in versu sequenti de mensura nihil constat, quia syllaba A et brevis et longa esse potest:

Lucil. XXVI. *[L. Muelleri ed.]* **55** *Cóntra flagitiúm nescire béllum vinci a barbaro*
Víriato, Annibale . . . . .

Quum liber XXVI septenarios trochaicos contineat, in trochæi locum spondeus quoque succedere potest, quod apparet ex versibus 52 *quaénam vox . . .*, 53 *át Romānus . . .* e. q. s. a. In reliquis Lucilii versibus syllaba A præpositionis contra aut longa est aut eliditur.

Incerta item mensura est apud Plautum

Pseud. 155 F. *Adsístite omnes cóntra me, quæ lóquar advortite ánimum*
Huc ádhibete auris quæ égo loquar, plagígerula genera hóminum

Quæ proxima a cæsura syllaba -tra est, brevem esse necesse est; sed si Fleckeisenus *contra me et quæ* recte legit, cæsura pæne obliterata (deest enim aliquoties) contrā spondeus minus offendit. Præterea versus non est Plauti et totus locus varie scriptus in codd. cof. Mülleri Prosod. Plaut. additam. pag. 99 et Brixi annot. ad mil. glor. 3.

Rud. I **4, 22.** *Cónsequamúr gradu vócem. Ubi ēs : : écce me!*
Áccēde ad me átque adi cóntra : : fit sédulo.

In hoc versu finalis præpositionis contra syllaba longa esse potest, nam in ipso primo pede accēde ad media syllaba longa est; haud enim raro creticus molosso cedit.

Att. 538. *Ribb. quem néque tueri cóntră neque áffarí queas*
Bergkius dimetiri quemquam vetat propter vitiosum anapæstum, et *cóntra néque ăffarí queas* proponit lib. de D finali pag. 82 annot. Ribb. *neque fari (nec fari* 1852) legit.

Contra igitur præpositionis in syllabam brevem terminatæ quum vix unum apud Ennium exemplum contra tueri investigare potuerim, Ennii locum ita ut Ritschelius et Vahlenus voluerunt emendandum neque contra alio atque ceteras in -tra præpositiones modo formatum esse existimo. Atque recte Bergkius l. c. 83 mihi et contra Latinorum et contrud Oscorum, quod ter in tabula Bantina exaratum est, a præpositione com cum deducta, genere tantum diversa, judicare videtur.

Venio nunc ad adverbium **frustra**, quod in sex locis Plautinis trochæum efficit verbis *frustrā sis* quinquies in fine versus positis, qui brevem prorsus syllabam flagitat. Vide Muelleri Plaut. Prosod. pag. 13 et Brixii Trin. præfat. pag. 20 edit. tertiæ. In reliquis quidem Plauti et in omnibus Terenti versibus frustra aut in elisione aut in iis versuum locis positum est, qui ad quantitatem nihil faciant. Sed hactenus de mensura; de natura et origine vocis disserens Bergkius quidem l. c. 82 femininum abjecta M litera accusativum esse arbitratur, a locutione frustra(m) scilicet viam ire depromptum et ad alias condiciones translatum; Buechelerus l. c. 23 autem pro plurali accusativo neutr. gen. habet et frustra esse, quasi frustra agere dicatur, intelligit verbo substantivo transitive usurpato. Sed Bergkii sententiæ, M quondam adverbio adhæsisse Plautina quam *) modo commemoravi dimensio repugnat et adversatur; ab nominibus tamen generis neutrius ut lustrum monstrum divellere frustra ego nolim; quam sententiam et verbis derivativis frustrandi lustrandi monstrandi confirmatam video et Buecheleri verbis congruere magnopere gaudeo. Itaque pluralis accusativus generis neutrius non singularis ablativus feminini generis frustră est, neque quicquam cum præpositionibus extrā intrā ectr. commune habet, si formam spectes. Usu tamen ejus adverbiali, quem ex illis quoque præpositionibus aliquot ut supra contra infra semper retinebant, factum est post scenicorum ætatem, ut frustra in similitudinem præpositionum quæ in -tra desinerent refingeretur A finali producto, quomodo Bergkius recte suspicabatur.

Præpositionem **circa** Mahlowius l. c. 136 ablativum masc. neutr. pariter esse dicit atque extra intra ectr., derivatam ab nomine circus, cujus alii casus obliqui particula circo, quæ adverbio idcirco inest, et circum præpositio sunt; et ob id ipsum quod tres circa circo circum formas eadem masculina stirps procreaverit, ablativum instrumentalem accusativum eas quasi dis-

---

*) Noli abséntĕ(d) te in ultimo pede v. 1139 R. 1125 Lor. Mostell. proferre, quo frustra(m) sis defendas; Mostellariæ locum infra tractabo; neque mensuræ ut tempŭs fert, desertŭs sum ectr., item in fine versus, multum proficerent, quod literæ M exempla desunt.

jecta ejusdem paradigmatis membra esse arbitratur atque eandem rationem inter adverbia ultra et ultro, contra et contrō(versia) Oscorum contrud, erga et ergo intercedere. Contrud enim Mahlowius affirmat instrumentalem esse litera D ab ablativo contrad assumpta. Sed temporum si Mahlowius rationem habuisset, circa præpositionem antiquis sermonis latini conditoribus incognitam classica demum quæ dicitur ætate emergere reperisset; Pacuvius certe si circa jam cognitum habuisset, v. 86 ‚circa supraque' potius quam *circum supraque* scripsisset concinnitatis causa. At is ipse concinnitatis sensus, circum præpositionem ab ceteris quæ ad spatium referuntur præpositionibus sono formaque abhorrere tandem ægerrime ferens, voce congrua circa procreanda sibi satisfecit; instrumentalem vero valere jubeo.

Transeo ad præpositionem **erga**, quæ, ut ergo ex erigo, ex erigā contracta est, quod idem factum est in pergo pro perrigo, surgo pro subrigo, expergiscor pro experrigiscor e. q. s. a. *Erigo autem et *eriga vel ergo et erga, ablativi generis neutrius et feminini, adjectivum quondam extitisse produnt *ēr[i]gus, *ēr(i)ga, *ēr(i)gum, pariter formatum atque consueta illa profugus prodigus et similia, quæ et ipsa e præpositione et radice verbali constant; et sensu adjectivum e r i g u s -a -u m eodem fuisse necesse est, qui vocibus e regione disjunctis inest: aus der Richtung her, gegenüber, quem in erga præpositione adhuc sentimus; qua de re Corsseni luculentam expositionem pag. 449 vol. prioris legas rogo. Ultimam syllabam, de cujus quantitate sola nobis agendum est, longam ut par est vides v. c. *)Trin. V. 619. *Úlciscare et míhi ut erga te fui ét sum, referas grátiam,* Hec. v. 486 *Quæ númquam quicquam ergá me commeritást pater;* brevem ego nusquam deprehendi.

Præpositio **juxta** [apud Liv. Andron. juxtim extat. Cof. Ribb. Trag. Liv. 11] eodem modo formata videtur quo exta i. e. viscera; neque dubium est, quin dividendum sit jux-ta, quia prior pars jux cum vix mox cis uls**) voculis congruit. Corssenus

---

*) Alios locos Ritschelius dat libelli de D priscæ latinitatis finali inscripti pag. 37 ann.

**) de uls vide Corsseni Critic. Symbol. pag. 302.

autem II 549 juxta et exta superlativos esse dicit ex *jug-ista *ec-ista ortos: ego elisionem vocalis nego, superlativi naturam agnosco; -ta enim idem est quod in quar-tus, quin-tus ectr. Juxta brevi ultima invenire non potui, quamobrem juxta ablativum sing. feminini generis esse apparet.

Restat, ut de adverbiis **ita** et **itaque** dicam. Corssenus quidem II 454 ita ablativum fem. esse censet sublata D finali, cujus rei argumentum versus profert Capt. 499 [502 Fl.]

Itá me| mìsĕrúm re- stitándo| retinéndo || lassúm reddidérunt,

quos quum Fleckeisenus sic scribat: *ita [núnc] me . . .*, A longo vocis ita eum offensum esse apparet. Parilem quoque Amphitruonis locum v. 635 *ită dis est plácitum volúptatem ut maéror comés consequátur* Fleckeisenus ,complacitum' scribendo ad normam dimetiendi redegit. Deinde nonnullis locis locutione ,quid itá' Plautus utitur, ictu in tertia syllaba posito, cujus singula vocabula artissime conjuncta Luchsius in Hermæ vol. VIII 114 quasi unum efficere vocabulum ut agité generé alia dicit; brevem igitur Luchsius ultimam voculæ syllabam dimetitur, quanquam ,quid itá' mensuram versus ab eo allati æque atque ,quid itá' vel adeo ,quid ită' ferrent, v. c. Pseud. 76 Lor. *quid itá? genŭs nostrum sémper siccoculúm fuit.* Denique viginti fere e Plauto locos C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. pag. 14 congessit, quibus ipse non multum tribuit, quod plerique ob alias causas criticorum arte egent aut hiatu concesso ab ita jambico liberantur, ut vix quisquam alius nisi Amph. 1077

Tua Brómia ancilla : : Tótus timeo itá me increpuit Júppiter

restet. His Plautinis locis Terentianos addo locos:

Eun. 697. *Fratérne! : : Ita : : Quando? : : Hódie : : Quam dudúm? : : Modo*

Phorm. 542. *Ítane? : : Ita : : Sane hércle pulchre suádes : etiam tu hínc abis?*

quibus in versibus si hiatum ante ita retinemus personæ mutatione excusatum neque apud Terentium inauditum [de quo vide Spengelium Andr. XXXI sq.], ítă dimetiendum est, hiatu rejecto itá, id quod in Terentianis quidem versibus non potest permitti

nisi forte in Eunuchi loco alterum post quando hiatum probas et sic legis:

Fratérn' : : *ită* : : *quándō* : : *hódie ect.*

Pro mensura itāque Corssenus versum saturninum affert, qui nihil ad nos pertinet; ex Muelleri Plaut. Prosod. pag. 14 Cist. arg. 10 *itáque lege et rite civem cógnitam* . . . huc transfero, qui non multum valet. E contrario brevis compositi itaque syllaba media simplicem voculam jam nascentibus latinis literis brevi exiisse testatur, collatis v. c. ubīque et undĭque. Apud Ennium certe et Pacuvium ‚ita' pyrrhichium in usu fuisse diserte dicit Servius*) in Aen. II 651 ‚Præpositiones vel adverbia in A exeuntia modo producunt ultimam literam excepto puta et ita, quæ apud Ennium et Pacuvium brevia sunt'. Et si quis ex eo, quod pută constet correptionem passum esse, ita idem passum esse conjicere velit, ego non possum profecto neque adeo volo correptum esse posse infitias ire. Jam enim in præfatione monui voculas jambicas usu tritas non solum sexcenties quantitatis jacturam facere apud scenicos, sed etiam quamvis raro correptas formas adeo inveterasse v. c. benĕ malĕ, ut pleniores nobis non essent traditæ; quod in ita particula fieri scilicet potuit; sanscritæ tamen particulæ uta atha latinam ita cognatam sibi et necessariam agnoscunt. Hoc certe exploratum habeo ne Plautum quidem ‚ita' jambo usum esse.

5. A nominativi et accusativi neutrorum pluralium.

A neutrorum pluralium, sive stirps vocali sive consonanti terminatur, antiquitus longum fuisse censet Corssenus II 460, quam sententiam quibus scenicorum locis comprobavit, eos, priusquam ipse quod sentio proferam, bene digestos enumerabo. A longum præbent:

a. in metro trochaico:

Rud. 933. *Óppidā circúmvectabor; úbi nobilitas méa erit clara*
Óppidum magnúm commœnibo

---

*) dummodo Servii verba integra et incorrupta sint; ‚modo producunt' sensu caret: pută adverbio quin quisquam ex antiquis autoribus usus sit, cum Bergkio pag. 84 valde dubito

de hoc versu vide Vahlenum in Hermæ vol. XVII pag. 606.

Rud. 1086. . . . . . . *Nihíl peto nisi cístulam*
Ét crepundiá :: quid si ea sunt aúrea :: quid istúc tuā?

in quo versu aurea formam brevi posse finiri statim demonstrare conabor. Neque Fleckeiseni inversio *ea si* placet, et Muelleri lectio *crepundia hujus* satis audax videtur.

Asin. 199. *Céterá quæ vólumus uti, graéca mercamúr fide*
de hoc versu vide Vahlenum ibidem.

b. in metro cretico:

Rud. 199. *Ís navem atque ómniā pérdidīt ín mari*
nisi forte post binos creticos syllabam ancipitem statuere licet; hunc enim versum C. F. W. Muellerus pag. 11 sq., ubi exempla longi A neutralis enumerat, non nominat neque pag. 75 conjecturis tentat.

In his quidem versibus A longum est; contra in iis qui sequuntur aut breve aut incertum. Sunt enim:

a. in metro trochaico et jambico:

Mil. gl. 1314. *Quíd vis? Quin tu jubes ecferri | ómniá quæ istí dedi.* Sic codd. C D F Z.

Mil. gl. 1338. *Éxite atque ecférte huc intus ómniá quæ istí dedi.*

Hos duos versus eadem metri ratione conjunctos si legimus *qu 'istí dedi,* omnia certe in A longum desinet; sed hiatu concesso dimetiri possumus *omniá quăe istí dedi* [cof. Hermæ XIII pag. 504. XVII pag. 607], quocum concinit Pseud. 800 R. *Sed quór sedebas in foró sĭ erás coquos.*

Men. 900. *Quaé me clam ratús sum facere, ea ómniá fecít palam*

Rud. 1086. . . . *Nĭhil peto nisi cístulam*
Ét crepundiá :: quid si ea sunt aúreá :: quid istúc tua.

Ne quis A finale omnia et aurea vocum longum esse putet, auxilio arcessamus versus sequentes, qui in eodem pede syllabam brevem præbent [vide Aug. Luchsium Studem. Stud. I 1, 17]:

Men. 842. *Út ego illic oculós exuram lámpadibŭs ardéntibus*
nisi forte *lampadis* scribendum est aut *lampadíbus* non reformidandum.

Men. 921. . . . . *Quíd cessás dare*
Pótionis áliquid prius quam pércipĭt insánia?

Verba quidem gemina mori et moriri, parĕre et parīre, cupĕre et cupīre, alia extant; verbum capīre si nostrum locum excipis prorsus incognitum est. Cof. Thurneiseni dissertationis quæ inscripta est „Ueber Bildung und Herkunft der lat. Verba auf io" pag. 39.

Trin. 971. *Néque edepol tu is és neque hodie is únquam erís, auro huíc quidem*

erís quod fingebatur neque fuit neque fuisse potest, si quidem Brugmannus, cui adstipulor, recte eris cum conjunctivo vedico asasi vel asas contulit.

Hec. 840. *Multa éx quo fuerint cómmodá | incómmoda æquomst férre*

Hic versus eadem ratione judicandus est qua Mil. glor. 355 [vide pag. 10].

Sequuntur versus, in quibus forma pluralis omnia sive aliud trium quattuorve syllabarum vocabulum, si metricas tantum rationes sequamur, syllabam finalem et brevem et longam habere possit.

Mostell. V **1, 62.** *Nam ómniă malefácta vostra répperi radícitus*
Haut. 189. *Timet ómniá : patris íram, et animum amícæ se erga ut sít suæ*
Haut. 942. *Mé mea omniá bona doti díxisse illi : : quám rem agis?*
Stich 209. *Damna évenerunt máxumă miseró mihi*
Mil. 618. *Mé tibi istuc ætátis homini fácinorá puerília Óbicere . .*
Pseud. 198. *Nísi carnāriá tria gravida térgoribus onere úberi hodie | Míhi erunt*
Haut. 1058. 1059. . . . . . *Haéc dum incipias, grávia sunt Dúmque ignores : úbi cognoris, : fáciliă : : faciám pater*
Eun. 264. *Vocábulá, parasíti ita ut gnathónici vocéntur*
Phorm. 556. *Nóli metuere : úna tecum bóna malá tolerábimus.*

Sed principum criticorum legem, quam plerique horum versuum violant, ne dactylus ictum in syllaba ultima ferat, a Corsseno vol. II 994 improbatam neque a Plauti editoribus hodie omnibus observatam, aboleri vel idcirco oportet, quod tantam priscarum formarum vim Terentiano textui inculcat, quantam sermonis elegantia, qua dimidiatus Menander præstat, minime patitur; omnia igitur ceterasque formas in his quos descripsi locis, quibus multi alii addi possunt, A breve habere arbitror.

b. in metro lyrico:

Men. 975 B. (957 V.). *Verbéra, compedés,*
Molaé lassitúdo famés frigus dúrum

Ritschelius quoque *verbéra compedés* dimetitur, Corssenus et Buechelerus *vérberā cómpedes*. Nihil hic certum et exploratum est, quum et de cantico disponendo et de textu restituendo multum inter se dissentiant viri docti; cof. Brixium in add. crit. 975.

Poen. I 2, 42. *Sunt hic omniá quæ ad dĕúm pacem opórtet*
Adesse

Corssenus pedes dividit; alii aliter, vide Muelleri Plaut. Prosod. pag. 98.

Adel. 612. *Mémbra metū débilliā súnt, animus timóre | óbstipuit*
Corssenus metitur, Dziatzko post duo choriambos cæsuram et syllabam ancipitem concedit in annot. pag. 107 editionis suæ; Spengelius prorsus aliter:

Mémbra métŭ debíliă sunt,
Animús timóre obstípuit.

In tanta rerum et sententiarum confusione certi sane quicquam statui nequit; sed multo cautius mihi videtur, in Terenti sermone formas et mensuras quotidianas et communes restituere, quam vetustas et obsoletas investigare.

In quattuor igitur locis Plautinis A neutrorum longum invenitur, ac primum quidem Buechelerus l. c. 19 [Windek. § 93] A plurale neutrorum natura longum esse dicit et in numeris tam insolitis tamque linguæ latinæ indoli repugnantibus, quam cárnariá fácinorá et multa alia sint, agnosci posse opinatur, ut quæ A finale antiquitus longum nondum ad dimidiam partem redegerint, sed mediam quantitatem servaverint. Eandem Wagnerus

[Hautont. præf. et ad versus 189. 942. 1059] amplecitur sententiam coactus et necessario, quod dactylicas voces in versu oxytonas esse negat; multi alii viri docti A plurale omnium stirpium neutr. generis quondam longum fuisse persuasum sibi adhuc habent. Hoc vero linguæ cognatæ minime confirmant. In græca quidem lingua ubique α habemus, quo si Homerus longo usus esset — aliquot enim locis α arsi elatum longum esse vulgo credebatur—, η jonicæ dialecti leges (cf. τριη-κοντα) postulassent. Et fortasse sanscrita quoque lingua adversatur, cujus ĭ plurale nonnulli ex eadem vocali atque α græcum neutrorum natum esse asseverant [Mahlowius l. c. 76]; qui si recte duas vocales ex eodem sono repetunt, non ita multum, ut primo obtutu existimaveris, manāñsi a μενεα distat et nunquam ejus finem longum fuisse probat.

Verum apud Latinos A neutrorum longum quattuor locis comprobatum eo majorem, quo minus metrum excusare contingit, exhibet difficultatem; quæ si ita, ut in nominativo sing. primæ declinationis fecimus, tollatur, periclitandum est. Nam et illic juxta A breve octies apud Plautum A longum deprehendimus et utrumque A genuinum et indogermanicum esse declaravimus. Simillimam rationem inter duo A pluralia neutrorum intercedere quantitate sola diversa dialecti Oscorum et Umbrorum latinæ linguæ consanguineæ fidem faciunt, in quibus eandem quam apud femininorum nominativum vocalium variationem redire videmus. In dialecto enim Oscorum extat pro neutris ú i. e. o, quod ă latino respondet, ex. gr. σακορο i. e. sacră, proffo i. e. probată [Cof. Bruppacherum l. c. 16]. Contra Umbrorum dialectus præbet A i. e. ā latinum, et O vel U i. e. ă latinum, ex. gr. veskla i. e. vasculā, sed vesklu i. e. vasculă; sic enim sibi invicem vocales respondere supra cognovimus.

Sed longius ultra italicarum linguarum fines prospiciamus, num alicubi A longum neutrorum appareat Plautique A longo se applicet; quo reperto Plautina Umbrorumque A longi exempla satis erunt comprobata vel saltem excusata. Vedica primum lingua præbet v. c. yugā pro yugāni, quorum prius Plautinum quod fingi possit jugā lepide repræsentat. Tum in lingua palæoslavica A breve neutrorum plane non extat, longo

A omnes declinationes occupante v. c. dēla ‚opera', polja ‚planities', slovesa ‚verba', imena ‚nomina', žrěbęta ‚pulli equini', quorum stirpes dēlo poljo sloves imen žrěbęt sunt; A Slavorum enim longis cognatarum linguarum vocalibus respondere inter gnaros satis constat.

Hæc sufficerent ad demonstrandum, antiquitus in linguis indogermanicis et breve et longum A pluralem neutrorum numerum formasse neque apud Latinos alterum ex altero correptione quadam et imminutione, quam fabulantur, ortum esse — nisi, errorem qui justo diutius animos incessit prorsus exstirpaturi, breviter explicandum, quæ tandem res gemellas formas procreavisset, nobis proposuissemus. De Saussure Osthoff Kluge autoribus, quæ stirpes in I, in U, in consonantes desinunt, A breve eis primitus affixum esse, stirpes IIæ declinationis usitatam vocalium O et A in A longum contractionem expertas esse confido. Quam contractionem scilicet obliti homines hæc duo A non legitime distinebant, sed varie commutabant, ut aut A breve stirpibus quæ O in fine haberent attribuerint, quod Græci fecerunt, aut A longum stirpibus tertiæ quæ dicitur declinationis, quod veteres Slavi, aut denique huc illuc dubitanter fluctuarent, cujus rei latina lingua notabilia vestigia reliquit. Simile quoddam fatum Osthoff qua solet sollertia genetivum pluralem habuisse edisserit vol. I 207 sq. disquisitt. morphol.; de A neutrorum confer vol. II 119 annot.

Sed nondum hoc de A neutrorum caput ad finem perductum est; præter nomina pronomina quoque et numeralia perlustranda sunt, si qua a nominibus diversa præbeant. Ac profecto nonne mirum est, idem A longum, intra nominum fines frustra pæne quæsitum, in hac provincia in lucem ultro prodire? -ginta enim cardinalium longam habet syllabam finalem. Pluralem formam nominis obsoleti in hoc -ginta delitescere jam pridem intellectum est atque merito a viris doctis, licet hodie Corsseni portenta *tria-decenta *quadrā-decenta ectr. quo digna sunt abire jubeamus. Quo magis miror, Buechelerum pag. 48 [Windek. § 235] uno versu Menæch. 446: *Plús tringintā ánnis natus égo sum quom intereá loci* nisum in singularem opinionem incidisse, quam Vahlenus ad v. 436 editionis suæ probare videtur, numeralia in

-ginta ablativos esse. Ablativus autem, versui Men. quem exscripsi forte consentaneus, innumeris locis ineptus, insulsus, absurdus foret; neque propter hiatum, qui ferrine apud Plautum an tolli debeat critici valde ambigunt, ut trigintād restituamus moveri nos oportet. Immo græcum numerale τεσσαρᾰ́-κοντα luce clarius quales sint partes ostendit: posterior pars latinorum et græcorum quæ decadas significant numeralium pluralis ejus stirpis est, quam sanscrita lingua in fine numeralium tṛñçat catvāriñçat pañcaçat exhibet; eo tamen græcum -κοντα a latino -ginta et sanscrito -çat discrepat, quod illud ‚fortem' stirpis formam prætulerit, hæc ‚debilem' assumpserint, vel ut aliter idem dicam: tale eorum discrimen est, quale inter φεροντ- et ferent- bharat-; geminæ stirpis formæ in unam quondam declinationem coaluerant, quarum una græcæ, altera latinæ et sanscritæ linguis obtigit. Apud Latinos quidem v i g i n t i, cujus -ginti dualis ejusdem stirpis neutr. generis numerus merito debili forma indutus est, nonnihil contulisse, ut -ginta *-gonta summoverit, quomodo Thurneisenus K Z XXVI pag. 312 arbitratur, minime negaverim. Verum A longum qualem rationem habet? Mirum esse paulo supra dixi; nihil aliud superest, quam ut a neutris secundæ declinationis tum quum A longum nondum amiserant — vestigia quædam Plautino tempore superabant — numeralia recepisse cum viro docto, quem modo nominavi, statuamus, nisi forte *-gonto- -ginto- stirpem propter got. hunda(-faths) fingere malumus. Illud certum est, A longum neutrorum in numeralibus remansisse.

Satis dictum esse arbitror de numeralibus; de adverbiis a n t e ā p o s t e ā p o s t i d e ā i n t e r e ā p r æ t e r e ā p r o p t e r e ā e ā p r o p t e r p o s t i l l ā plus semel virorum doctorum acumine pertentatis et exercitis restat ut accuratius exponam. Corssenus vol. II 455 sq. adverbia et cum -eā et cum -hāc composita accusativos plur. neutr. generis continere ratus eandem de iis quam de numeralibus sententiam fert. Buechelerus autem l. c. 52 [Windek. § 261] his adverbiis præpositiones ablativis sing. fem. junctas inesse censet, formulæ arvorsum ead in Sen. Cons. de Bacch. ratione habita. Idem Dziatzko ad Phorm. 347 annotat; idem denique Ritschelius libri qui Nov. Plaut. excurs. I sive de D priscæ Latinitatis finali inscriptus est pag. 82 sq. sentit,

quum ea linguæ latinæ ætate illa adverbia oriunda esse dicit, qua præpositionum cum casibus communionem nondum posterioris consuetudinis leges cohibuerint. Contra Mahlowius l. c. pag. 136 posteriorem adverbiorum partem pro sing. ablativo masc. neutr. generis judicat ut præpositiones extrā intrā ectr.; quod quum supra improbaverimus, hoc solum, num A longum pluralis neutr. generis numeri hæc adverbia retinuerint, dubitandum est.

Atque profecto, quia præpositiones ante post præter propter inter accusativum postulant omnes, quæ cum eis cohærent ea illā formæ, eas accusativos esse quis non facile assentiatur? Illud quoque arvorsum ead Sen. Cons. de Bacch. eo tempore, quo D signum ablativi attenuari cœptum esset neque jam, A longum ablativumne primæ declinationis an plurale neutrorum indicaret, dijudicari posset, falso literam D assumpsisse Corsseno et Mahlowio concedamus, quamquam, subscriptionem altera manu additam si excipimus, ablativi D constanter in monumento scriptum est. Verum aliæ sunt formæ, illi arvorsum ead similes, in quarum fine A neutrorum deprehendere frustra conatur Corssenus vol. II 460: advorsum hac plebisciti Silani apud Festum pag. 246 et arvorsu(m) hac decreti Lucerini nuper reperti, tum antehac antidhac posthac hacpropter præterhac similia. ‚Hæc' enim pluralis neutr. generis sonat, nunquam ha vel hoc, quæ etsi fuisse damus, tamen cur præpositiones potissimum ha plurale adamaverint et conservaverint neutiquam intelligo. Neque quāpropter obstat, licet siquă aliquă formæ a simplici ‚quæ' discrepent; nam A longum cur post præpositionem neque usquam alibi remanserit, docendum Oedipo relinquo. Neque oscum ‚post exac' i. e. postea officit, quod ex aliarum vocum judicio pendet.

Itaque in his omnibus quæ commemoravi adverbiis ante post inter propter præter adversum præpositiones cum ablativo sing. fem. generis conjunctas esse arbitror, neque hanc sententiam virorum doctorum autoritas, si quid hic valet, deficit: Ritschelii pag. 82 commentationis de D finali, et Jordani in criticis Symbolis ad hist. lat. ling. pag. 99. 272 et in Vind. serm. lat. antiqu. pag. 16. 19. Sed quum ille rationem hujus usus inde repetendam esse putaret, quod ablativum et accusativum promiscue cum præpositionibus quas enumeravi sociare priscis temporibus

licuisset, Jordanus has præpositiones adverbialiter accipiendas esse ut ‚tenus' cum ablativo nominis conjunctum censet. Inter propterea intereā ectr. et interibi postibi abhinc dehinc deinde adhuc adeo nihil discriminis tum foret neque esset, cur ablativus illorum adverbiorum cujusquam animum offenderet, v. c. intereā easdem inverso ordine partes haberet, quas nostrum darunter e. q. s. a. Sed de ratione disputare nunc nolumus; id tantum agitur, ut exempla perspicua afferam, unde, a quibus præpositionibus accusativus constanter pendeat, eas cum aliis casibus conjunctas esse eluceat: in adverbio interdiu, quod ex interdius ortum non esse potest, inter præpositio sive cum instrumentali sive cum locativo, quo de posterius, conjuncta conspicitur; utrum ablativus a præpositione pendeat an vernaculo sermone dazwischen am Tage constructio explicari debeat, non dijudico. Ab eodem ‚inter' ablativus suspensus est in augurum verbis: ‚inter ea congregione conspicione contumione', de quibus Jordanus in Symbolis criticis pag. 98 sq.; M ter omissum esse vix est credibile. Et cum eodem ablativo post præpositionem compositam in postmodo*) propemodo adverbiis videmus, quæ proprie postmodom propemodom esse quis Ritschelio [op. II 623] et Ribbeckio [de part. lat. pag. 44] hoc tempore credit? Quæ latinæ inter præpositioni respondet, oscam anter ablativus, si Buechelero pag. 232 comm. in hon. Mommseni credimus, teremniss sequitur. Locutionem denique contrud exeic i. e. contra hoc, quam ter tabula Bantina præbet, aptissime cum nostro da-gegen inverso tantum ordine comparaveris; nam exeic locativus est. Nihil tamen expedit examussim attulisse, quod alteri locutioni adamussim adaptatum est.

Præter nomina igitur A longum neutrorum non nisi in numeralium -ginta clausula servatum esse, hoc de adverbiis propterea intereā similibus capite demonstrasse mihi videor.

6. A imperativi act. sing. 2 conjug. primæ.

A imperativi longum esse constat; in jambicis autem vocabulis ex metricis Plauti et Terenti legibus sæpe corripitur: amă,

---

*) Postmodo e postmodom Ritschelius ducit opusc. II 623 annot.

rogā. Aureæ tamen ætatis poetæ longam vocalem ubique revocarunt, puta excepto, quando ‚nam , enim' significat, velut Pers. 4, 9. *Hoc pută non justum est illud male, rectius istud,* cujus brevem ultimam jam ab Ennio et Pacuvio receptam fuisse Servius testatur ad Aen. II 651.

II. Formæ quæ in E terminantur.

1. E ablativi sing. tertiæ declinationis.

E ablativi, stirpium quæ consonis terminantur proprium, breve est; tamen E longum reperitur in sex Plauti versibus:

Bacch. 628. *Múlta mala mi in péctorē nunc ácria atque acérba eveniunt* quem versum verbis transponendis Ritschelio autore mutat Fleckeisenus.

Stich. 71. *Grátiam a patré si petimus, spéro ab eo impetrássere*

Ritschelius transmutat in *si pace*, rationem habens lectionis A: *gratiam pa . . si.* Sive patre sive pace scribimus, tamen E longum est.

Men. 478 R. 469 B. IIIæ edit. *Satúr nunc loquitur dé me et de partē mea?*

Cas. II 7, 5. *Sorté sum victus : Cásina nubet víllico*

Pseud. 761. *Ómnis ordinē sub signis dúcam legionés meas*

Sic Lorenzius scribit, nam legiones juxta ordines codicum propter orationem nimis impeditam vix tolerandum esse videtur. Ritschelius, quem Fleckeisenus sequitur, scribit ordine ego; ordines quæ est lectio codicum a Bergkio defenditur in procem. ind. Halens. 1858/59.

Mil. glor. 707. *Méa bona in morté cognatis dídam, inter eos pártiam*

Sic Brixius et Lorenzius scribunt; codices præbent: *meam bonam ea morte cognatim C, mea. bonam ea morti cognati B, mea bona mea morte cognatis* Db F Z et ‚ut videtur' A. — Vocabulum mea bis hic poni vix licitum, certe supervacaneum est; deinde possitne abesse in præpositio, optimo jure quæritur. Lectiones supra allatæ originem traxisse ex scriptura MEABONAINMORTE videntur, in qua in præpositio, M literæ similis,

BONAM accusativum oculis offerebat legitimamque constructionem disturbabat.

In his igitur sex versibus E longum est; contra in iis qui sequuntur E aut incertum aut breve est:

Enn. ann. 420. *Tum cava sub monté late specus intus patebat*

De hoc versu idem dicendum est, quod de Enn. ann. 148, de quo vide pag 7.

Cas. I 52. *Quasi mús in medio párieté vorsábere*

Hic versus eodem modo formatus est quo ei, quos pag. 8/9 exscripsimus.

Capt. 804 B. 807 Fl. *Túm pistores scrófipasci quĭ alunt furfuré sues*

Luchsius in Studemundi Studiis priscæ latinitatis I 56 ‚furfur' singulare significare Hülse Schale, plurale Kleie scribit, quod ex Varronis Columellæ Plinii majoris Phædri locis demonstrari possit [cof. Brixium in addit. crit. ad Capt. 804 IIIæ edit.] atque Plautus ipse aliquot versibus inferius plurale furfures [sic cod. B] præbet; itaque furfure ablativus sing. suspicionem movet.

Asin. 454. *Reprómittam istoc nóminé solútam rem futúram*

cum quo versu conferas

Eun. 593. *Jit lávit rediit deínde eăm | in léctulo locárunt*

in quo eăm hians eodem loco positum est quo [no]mine. Vide præterea Hec. 830. Haut. 688. 694. 699 et pag. 15.

Mil. glor. 720. *Cóntinuo excruciárer animi: sín forté fuissét febris*

quem versum omittunt B C D F Z, ex A prodidit Maius, testatus ille FORTEFUISSET literas, quarum Ritschelius quartam quintam sextamque literam non potuit dispicere. Ut vera sit lectio, possis scandere versum et forté fŭisset et forté fuisset usitata synizesi, de qua confer Brixii præf. pag. 20. 21 Trin. ed. tertiæ; neque aliter res se habet in

Cistell. I 1, 65. *Quíd faciam? in latebrás abscondas péctoré penitíssumo*

ubi arsis aut in -re pen- solvi aut una re syllaba contineri possit; nam ne hæc quidem divisio E longum habere cogit, quoniam

versus, qui eodem loco ancipitem habent, pag. 29/30 ad Men. 900 congessi; quocirca

Pers. 41. *Quód tu me rogás, nam tŭ aquam a púmicé nunc póstulas*

Capt. 914 R. 911 Br. *Advéniens deturbávit totum cúm carné carnárium*

nihil de longo E ablativi probant.

Adel. 40. *Atque éx me hic nátus non est, sĕd ĕx fratré meo.*

Sic tradit verba Bembinus, quæ corrupta esse nemo non videt; ablativum enim stirpium, quæ in consonantem exeunt, Terentius in longam vocalem terminasse non potest, quod formas, quas posterior consuetudo respuit, omnino non præbet. Nam

Phorm. 750. *Matrem ípsam ex ægritúdiné miserám mors consecútast*

propter quarti pedis cæsuram, etiamsi Bembinus ante ‚miseram' non ‚hac' haberet, inutilis testis esset. Sive verborum ordinem invertis: fratre ex meo, sive est interponis: ex fratrest meo, non curo. Denique in

Mercat. 255. *Ad pórtum hinc abii máne cum lucé simul*

non ablativus sed locativus lucī est, de quo infra dicam; utrum enim in codicibus E an I scriptum sit, paulum referre C. F. W. Muellerus pag. 17 et Buechelerus pag. 50 inter se consentiunt.

Versus, in quibus arsi in duas breves solvenda metro æque satisfieri possit, hi sunt, quos quam plurimos affero:

Mil. glor. 699. *Me úxoré prŏhibént, mihi quæ hujus símilis sermónés serat*

Trin. 605. *Síne doté : : Sine dóte ille illam in tántas divitiás dabit?*

Trin. 714. *Síne doté nĕque tu hínc abiturus quód meumst, id erít tuom*

Most. 256. *Váh quid illá pote péjus quícquam múlieré memorárier*

Pacuv. 3 Rib. trag. *Capité brĕvi, cervíce ánguina, aspectú truci*

ubi Ribbeckius inverso ordine ‚brevi capite' scribit.

Hec. 531. *Pártum, præsertím quom et recte et témporĕ sŭo pépererit*

Haut. 216. *Ex suā lubidinĕ mŏderantur núnc quæ est, non quæ olím fuit*

Adel. 346. *Periit, pro virginĕ dări nuptum nón potest; hoc rélicuomst*

Spengelius virginĕ dărĭ metitur; ita si esset, in versu 598 *sed quaéso ut una mécum ad matrem vírginís eas, Mício* etiam virginīs genetivus longa syllaba finiri debebat, quod alii omnes præter Spengelium reformidant.

Quod Plautus Pseud. 126 pubĕ, Stich. 216 famē, Most. 193 famĕ dimetitur aliaque id genus, non huc pertinet, quia formæ quintæ declinationis propriæ sunt, de quo vide Corss. II 275 et Muelleri Plaut. Pros. pag. 17.

Nunc materiam, quam congessi et digessi, ut recte dijudicem, de forma ablativi tertiæ declinationis diligentius inquiram oportet.

Corssenus quidem vol. I 734 ablativum omnium stirpium prisco tempore in -īd[-ēd] desiisse, tum D finali sublata -ī, -ei, -ē sonuisse et in versibus supra allatis servatum esse dicit. Nequaquam enim, ut jam dixi, multum interest, qualis in manuscriptis v. c. Plautinis vocalis scripta sit; brevisne sit an longa vocalis, hoc solum refert. Inscriptionum autem forma -id vel i haud dubie longa judicanda est, -ed vel -e ambigua relicta, certe in antiquioribus. A tempore tamen Gracchorum usque ad Julium Cæsarem inscriptiones ablativum stirpium, quæ consonante finiuntur, satis constanter in E desinentem præbent neque quisquam hoc E si breve accipimus, contra dicet; correptam vero esse et imminutam ex E vel I longo, ut Corssenus II 462 sq. contendit, eo negari hodie oportet, quod E longum in adverbiis et in imperativis secundæ conjugationis, I longum in genetivo locativo sing., nominativo plur. secundæ declinationis, in imperativo quartæ conjugationis integrum remansit. Nulla igitur lex est, qua in fine vocabulorum latinorum E vel I longum in vocales breves attenuari debeat.

Non multum differt a Corsseno Buechelerus, qui l. c. 49 [§ 244 sq.] stirpibus in I desinentibus formam ēd ıd attribuit. ut aved avid; stirpes, quæ consonis terminantur, in genuinis inscriptionibus formam id præbere dicit, ut airid co[n]ventionid nominid, quorum -id ex stirpibus, quæ vocali I terminantur, arcessitum sit sublata D finali; postea et longum E I stirpibus in

consonas, et E breve in vocales desinentibus contigisse. Neque tamen avĕ ab avıd vel avēd, sed ab avĭd tertia forma deducit, quod quid sibi velit non satis intellego; nam correptionem finalium Buechelerus eadem paragrapho 245 in latinas voces invasisse commemorat; sed correptionem in eadem voce nunc factam esse, nunc non esse — hoc statuere nimia forsitan ei licentia videbatur. Utut se habet, avĕ non ab avīd vel avēd repetendum esse neque ullam inter avĕ et avī [ave] necessitudinem intercedere recte vidit Buechelerus, omnesque, qui in sonis quoque leges quasdam naturales valere, non casum fortunamque censent, ei assentientur, neque tum ignĕ cum ignī, mortĕ cum mortē, florentĕ cum florentı, marĕ [Men. 231 R. 229 V.] cum marı, med absentĕ cum med absentī [Hermæ XVII 599 sq.], vel omnino ĕ ablativi cum ē ī commune habet; nam unum ĕ si correptum ex ē vel ī esse negabis, omnia esse negaveris.

Nihil jam ergo aliud restat, quam initio stirpes, quarum finalis litera consonans esset, ĕ habuisse, reliquas stirpes e vel ī statuere; quæ duæ classes nisi jam prisco tempore in ablativo formando diversas ingressæ vias essent, qui tandem fieri potuit, ut postea frater, mater, pater, soror, omnia agentis quæ vocantur nomina ut orator victor, omnia neutra ut genus scelus, major ceterique comparativi, alia nominum genera, quorum stirpes consonantes in fine habere vel græca lingua docere potest, aut nunquam aut sero demum ī assumerent? Casu certe quodam eo minus evenit, quo constantius eadem nominum genera genetivum quoque pluralem syllaba -um, non -ium finiunt, et quæ generis neutr. sunt, -ia syllabam in nominativo accusativo vocativo semper aspernantur, ut majora, scelera. Itaque ut turbati quondam fuerint duo stirpium ordines, at non certe adeo turbatio processit, ut discriminis non satis vestigiorum relictum esset et ingenium linguæ a recta via plane aberraret.

Quod nonnulla airid conventionid nominid exempla [Buecheler-Windek. § 246] refellere scilicet minime possunt; ex hac paucitate quis omnes quæ consonantem finalem habent stirpes ablativum sing. alterius stirpium ordinis ritu formasse argumentari audeat? *Aerĕd *nominĕd igitur veros, ærıd nominıd analogia ortos ablativos esse suspicor, quorum priores D literam, ut id

aliud quid quod istud illud coarguunt, retinuissent, nisi una ablativi categoria, amborum ordinum nomina complexa, eandem quoque sonorum speciem induere coegisset. Quo facto ablativus, qui ĕd syllaba formatus erat, a locativo distingui desitus est, hominĭ ex linguæ latinæ legibus æque atque hominĕd analogiæ effectu in hominĕ mutatis. Huc accedit, quod ignē[d] vel ignī[d] ablativo, ignē vel ignī locativo in eadem forma permixtis ærĕd ab ærĕ, nominĕd ab nominĕ, ablativum ab locativo in stirpibus, quæ consonam finalem habebant, paulo molestius erat sejungere. Denique nullum prohibeo, quin in locutionibus præsentĕ te ectr., si eum brevitas syllabæ v. c. Most. 1139 R. 1125 Lor. in fine versus offendat, re vera locativum agnoscat; quin immo absolutum qui dicitur ablativum in tertia declinatione omnino locativum quondam fuisse nescio an merito contendi possit, quia sic facillime, cur hæc constructio prorsus E vocalem participiorum præsentis poscat, intelligamus [ferente=ferentĭ=bharati].

2. E vocativi sing. secundæ declinationis.

Meissnerus in præfat. Andriæ pag. 15 vocalem E vocativi proprie longam fuisse credit, id quod versibus sequentibus comprobari putat:

Hec. 621. *Sumus Pámphilé senex átque anus* (jamb. quatern.)
quamobrem non licuerit Pam-philé se-nex dimetiri nemo intelligit.

Andr. 267. *Quis hic lóquitur? Mysis sálve* : : *O salve Pámphilé* : : *quid agít?* : : *rogas?*

Sed salvo metro possis scandere versum Pam-philĕ quid-agit, idemque modus in omnibus huic similibus versibus, quos C. F. W. Muellerus pag. 19 exscripsit, tenendus est. Ii certe, qui in ultima dactylicorum aut tribrachicorum vocabulorum syllaba ictum poni vetant, Pamphile longam quondam finalem habuisse necesse est affirment, i. e. vocativi E quondam longum fuisse; quod quam versum sit, linguæ sanscrita græca palæoslavica brevi vocali v. c. vṛka λυκε vlŭče servanda luce clarius monstrant. Neque Plauti editores omnes eo progrediuntur, ut legem commenticiam contra linguarum cognatarum consensum observari velint, qua de re vide Spengelium ad Andr. 23 et Brixium ad Mil. gl. 27, qui ipsius vocativi Pamphile mentionem faciunt.

Haut. 699. *At enim ístoc nil est mágis Syré meis núptiis advórsum*

Syllaba E anceps est in cæsura quarti pedis legitima vel saltem usitatissima, quam in Haut. 694 *Loquere, aúdio : : at jam hoc nón agís : : agám : : videndumst, ínquam* aspicis; nam -is tertiæ conjugationis longum esse nulli jam persuaseris.

Pers. 482. *Quíd agis? : : credō : : únde agis te Dórdalé : : credó tibi*

si recte legitur, vocativus Dordale propter eos quos pag. 29/30 ad Men. 900 attuli versus finalem syllabam brevem habebit; vide autem Muelleri Plaut. Pros. pag. 19 et 632.

Truc. II **3, 12.** *Quid jám revocabas ímprobé nihilíque homo*
Cas. I **46.** *Quom míhi illa dicet : mi ánimulé mi Olýmpio*
quos idem affert, E vocativi eodem loco præbent, quem syllabam ancipitem hiatumque permittere supra dixi pag. 9.

Breviter ipse ille iste tute nominativos subjungo, quorum tres priores quidem non ex ipsus ollus *istus imminutos esse, sed nativos existimo; correptos ex ipsē ectr. esse nemo quod sciam contendit; tute brevi syllaba infamis ille versus *O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti* præbet; ceterum Kuehneri majorem gramm. lat. ling. I (1877) pag. 383 inspicias velim.

3. E adverbiorum.

Corssenus I 200, II 469 et Buechelerus l. c. 49 [§ 240] adverbia in E desinentia adjectivorum secundæ declinationis ablativos quosdam esse censent, a substantivorum ablativis simili modo discretos atque masculinum od a feminino ad; D enim in facilumed Sen. Consulti de Bacch. et in Oscorum amprufid, quod vel a stirpe amprufo vel a stirpe amprufi repetere licet, manifesto servatum esse videbatur. In manuscriptis vero vix deprehendi poterat; nam illud *alted elata* Otfr. Muelleri in Enn. ann. 366, quod Corssenus vol. I 200 recepit, II 469 annot. rejecit, Ritschelius l. c. 56. 87 haud improbavit, at non satis certum putavit, Bergkius primo in *alte dilatata,* tum in *alte p[ila] elata* mutavit [de D finali pag. 36], alii aliter tentarunt, nihil præbet, quo tuto insistamus. Solum igitur illud facilumed restat, a quo

profectus Ritschelius l. c. 87 literam D in adverbio adæqued Mostell. I 1, 29 redintegravit, ubi codex B ad aquet exhibet, Buechelero l. c. 47 et Corsseno II 470 annot. refragantibus, in multis versibus ad hiatum evitandum intercalare non dubitavit. Neque Bergkius pag. 17 formam ed adverbialem detrectat, quamvis exiguum ejusmodi adverbiorum numerum esse arbitretur; pleraque tamen in E adverbia dativos vel locativos*) esse, ut peregrei peregri peregre, ablativi D suffixo postea auctos primus statuit. Quam quidem sententiam Brugmannus in K Z XXIV 74 annot. 3 comprobat slavicis adverbiis ut dobrē bene, javē aperte comparatis, et ab adverbiis, quæ in ōd finiuntur, D literam ad adverbia, quæ in ē, transiisse v. c. a certod ad certē arbitratur. Hoc tamen mirari possis, eandem in ē formam et in latina lingua et in osca D ablativi assumpsisse. Quod Bezzenbergerum adeo movit, ut in BB IV 340 annot. hanc sententiam plane ex arbitrio fictam judicaret.

At non solum in communi, ex qua Latinorum Oscorum Umbrorum dialecti oriundæ sunt, lingua adverbia ēd syllabā formata esse possit cogitari, sed etiam, si utrosque sua sponte D literam facilumed et amprufid formis assuisse malis, ex Brugmanni novissima dissertatione, quæ de rebus agit ad necessitudinem linguarum indogermanicarum spectantibus, pag. 14, quoties linguæ inter se diversissimæ vastisque spatiis inter se discretæ in formis novandis immutandisque concordent, facile intelliges.

Denique Mahlowius pag. 134 facilumed formæ non antiquitus D literam adhæsisse neque ‚facilume' solum scilicet, sed omnia adverbia D finali insignita fuisse existimat, edicto illo pervulgato, ut corripiatur vocalis consona finali orba, deceptus. Sed quæ ad pag. 134 locum pag. 166 annotat, quid sibi velint, non satis assequor; ad qualitatem potius vocalium, quæ minus mihi nunc curæ est, quam ad quantitatem spectare videntur. His ergo in medio relictis ad edictum quod commemoravi evertendum omnia brevis E finalis adverbiorum exempla persequar; nusquam cor-

---

*) Pro locativis accipi posse jam Boppius gramm. compar. I § 200 extr. intellexit.

reptionem, nisi quam lex jambica in verbis consuetudine sermonis attenuatis præscribat, factam esse liquido apparebit.

Adverbia bisyllaba **bene** et **male** sæpissime usitata nunquam non E breve præbent, neque eo secius vel ex benē malē vel ex benēd malēd repeti possunt; nihil enim contra legem jambicam consonas literas valere, mensuræ ut volŭptatis senĕctutis volŭntatis aliæ, quæ haud raro apud ipsum Terentium occurrunt, dilucide docent. Eadem de causa Plautus in Pœn. 1280 *Si égo minam non últus fuero próbĕ quam lenoní dedi* dimetitur; maxumĕ in Mil. gl. 1024 *Age, age, út tibi maxumĕ cóncinnumst* : : *Nullúmst hoc stolidius sáxum* difficili anapæstorum metro excusatur: sed prosperĕ in Pseud. 574 R. 552 Lor. *Pro Júppiter, ut mihi, quícquid ago, lepide ómnia prosperèque éveniunt* aut syncopen mediæ syllabæ passum est, quod C. F. W. Müllerus pag. 476 improbat, aut que ejecto duabus vocibus pro spērĕ legi potest, nam sper- stirpem pro spe- antiquioribus notam fuisse constat. In tribus vero prioribus certe adverbiis ad E vocalem corripiendam non solum jambica forma, sed etiam usus a propria notione deflexus et latioribus finibus descriptus nonnihil contulit; nam ut verba auxiliaria leviores plerumque formas amant, ita nomina quoque in particularum numerum delapsa; de probe vide Lorenzium ad Mil. gl. 606; maxume sensu ita debilitatum, ut gerade significet, invenis Pseud. 413 Lor.

Adverbia sublimĕ impunĕ Mahlowius l. c. 126. 166 proprie adjectiva neutr. esse, quorum stirpes vocali i terminent, cum Kuehnero in majore gramm. lat. ling. I 682 summo jure putat; *sublime* quidem *noctis iter* jam Ennius in tragœd. fragm. 246 Vahl. 180 Ribb. conjunxit, quamquam idem sublimus a um quoque usurpat; facile et difficile nemo non ignorat.

Mage respondere primum nominativo et accusativo mahi Vedorum potest, in quibus haud raro adverbialiter invenitur [sehr eifrig, hoch, heftig: Grassm.]; nam inter mahi et mage eadem ratio intercedit, quæ inter *levi et leve; respondere deinde mahi locativo sing., quem apud Grassmannum locis comprobatum non video, potest, si sonos tantum spectes. Aliter Mahlowius sentit pag. 45, qui magĕ cum vedico mahé dativo comparat, correptam vocalem finalem ex ea lege esse ratus, quam sæpe in

jambicis vocibus observari non nego; nam magĕ per literæ s apocopen e magis repetere, quamvis simplex videatur hæc originatio, nemo jam hodie audebit. Nihilominus magis prorsus negligi nequit; quod non Latinos ex *magjos contraxisse vix est quod moneam; idem Mahlowius l. l. vedicum mahás non genetivum, sed neutrum, quod cum verbis dhā kṛ et verbis colendi diligendi ectr. magni facere significat, ad magis explicandum arcessit. Unum vero est, quod in his omnibus derivandi modis reprehendam: sensum comparativi non qua par sit religione respici; positivos cognatæ linguæ sanscritæ in latina comperativi fungi munere sane mirandum est. Immo magis ut sensu comparativus semper est et fuit, ita forma quoque comparativus explicandus est. Antiquissimum enim comparativi paradigma sic fere sonuisse ex novissimis disquisitionibus conicere possumus: *magjos quod postea majus factum est, *magisis *magisī genetivus et dativus, qui postea formis majoris et majori cesserunt; et similiter *magjosa postea majora; *magisom genetivus majorum forma loco motus. Quid jam prohibet, quominus, ut amplior stirps *magjos obliquos casus occupavit, ita brevior stirps magis nominativi et accusativi vices neutrius generis susceperit? Postiris quidem Oscorum et Latinorum posterius hoc accidisse confirmant. Idem igitur magis adverbium est, quod magis prior magistri pars, et quod mahis sanscriti superlativi mahishṭhas. Sed quid nunc de mage? Potis pote loquentium animis obversantia juxta magis procrearunt mage, quod sensu a magis gemino nequaquam discedit; nihil aliud consilii superesse video.

Facillimum autem est **potis** et **pote** formarum rationem dispicere [cof. Pott.: Wurzeln Einl. 854]; potis cum sanscrito patis et græco ποσις recte jam contulerunt, qui artis linguas comparandi prima fundamenta jecerunt; pote neutrius generis est; latina enim lingua poti- stirpi adjectivam potestatem attribuit; nam et comparativum potior potius et superlativum potissimum format; linguæ sanscrita et græca substantive patis et ποσις voces usurpant, quocirca forma neutr. gen. non extat. Neque tamen potis et pote secundum formarum discrimen utebantur Latini, quum potis neutrum genus non respuat, pote a masculino vel feminino non abhorreat: prius vides Hec. 395 *nunc si potis est,*

maxume volo, Amph. 693 *qui istuc potis est fieri;* posterius Phorm. 535 *hic si pote fuisset exorarier,* Trin. 352 *quandoquidem nec tibi bene esse pote [-potes] pati neque alteri.* Ex his aliisque quos editores congesserunt locis potis pote formas, nisi cum verbo auxiliari conjunctas sive intellecto sive posito, adjectivi partes non sustinere elucet, et hæc ipsa conjunctio, unius verbi sensu assumpto, generum discrimina permisceri, immo ipsorum casuum, nominativo etiam accusativi munere fungente, facile passa est. Quæ omnia in vedico īçvara usu, quando mächtig sein, vermögen significat, animadverti possunt, qua de re vide Böthl. et Rothi lexicum.

Eodem quo in pote modo litera ĕ nominum ut **leve acre forte mare rete cubile** ectr. omnium ex ĭ extitit, quia I breve in fine latinarum vocum nullum locum habet omniaque I brevia, quæ in fine vocum jambicarum apparent, e jambica lege correpta sunt, ut ibi ubi mihi tibi ectr. Sed eadem formarum -is -e copulatio, quam primum in magis mage, tum in potis pote, tertium in omnibus ut fortis forte adjectivis deprehendimus, quartum nobis in verbi **secunda personna sing.** obviam fit, ut fatearis, fateare, -baris -bare, uteris utere ectr. Neque magis breviorem -re formam s abjecto ex longiore -ris natam esse opinari licet, quam mage ex magis; -re imperativi potius proprium fuisse crediderim ita, ut hortaris inter et hortare eandem rationem atque inter geris et gere, legis et lege fuisse statuamus. Imperativum certe ab indicativo secernere in verbis quæ deponentia nominamus eadem necessitate coacti erant Latini, atque in activis verbis prisci illi Indogermani olim fuerant. Aliter vero se res in passivis formis habet; monstret mihi aliquis velim, ubi amare laudare imperativos legerit; equidem neque usquam me legere memini neque alii locis comprobaverunt. Itaque -re juxta -ris formam promiscue, in præsenti raro propter infinitivi activi et imperativi mediopassivi congruentiam, at sæpenumero in ceteris temporibus utebantur, qua de re vide St. Z. XIV 316.

Fortasse ex fortassis s sublato et I in E imminuto repetit Corssenus vol. II 850; equidem potis pote et verbi formas ut fateare fatebare exemplaria quædam fuisse, quibus ‚fortasse' quoque accommodarent, audacter contenderim; utcunque res se habet,

syllaba finalis semper brevis fuit neque correptio hic locum habet.

Hæc omnia formarum paria in -is et -e desinentium longe aliter Ritschelium ex una quadam es matrice ortas credidisse sat scio; confer ejus opusc. II 622 annot.; at ex faciles mages potes fateares modo s consona abjecta, modo E vocali extenuata et facile mage pote fateare et facilis magis potis fatearis provenisse — hoc neque qui tunc linguis comparandis operam navabant probaverunt, neque qui hodie probare possunt, neque ego refellere conabor. Sed ut omnia quæ ad rem nostram spectant amplexus esse videar, unum denique afferam exemplum, quod potis pote pot-est formarum consimile sit: satis, sate ex satĭne eliciendum, sat. Satis sate enim adjectivum esse vel potius fuisse existimo, quod, cum verbi auxiliaris tertia persona sæpissime conjunctum, omnibus præter -is -e formis perditis, generum quoque discrimina omisit; sat autem et pot ex sate pote ante est erat aliasque vocalibus incipientes verbi formas nata sunt, ut factum est in proverbiis *mihi quidvis sat est* Mil. glor. 750 R., *idem hoc hominibus sat erat decem* Mil. glor. 755. Id solum interest, sat satis a verbo auxiliari divellere se potuisse singulariumque vocum partes agere.

Redeamus nunc ed reliqua E finalia, atque peregrī peregre quidem adverbio, cujus posterior pars agri nomen est, sive peregro sive peregri stirpem ponas, Corssenus vol. I 776 tres significationes attribuit, scilicet in die Fremde, aus der Fremde, in der Fremde [confer Brixium ad Capt. 169]. Quibus ut formæ concinnæ congruant, peregri locativum stirpis vel in O vel in I exeuntis, peregrĕ accusativum neutralem stirpis in I desinentis, peregrĕ ablativum ejusdem stirpis esse putat. Atque jam Charisius pag. 212 K, 189 P inter peregre, quod, quum abit quis in locum, dicatur, et peregri, quum in loco est, argute distinxit. Sed frustra sagacitatem in formis distinguendis consumunt, quia neque quantitas neque qualitas vocalis finalis satis certa est: quantitas enim ex Truc. I 2, 26 [127] investigari nequit; nam versum *peregrė quoniam ádvenĭs céna dĕtur [datur],* qui anapæsticum rhythmum refert, Schöllius in bacchium convertit: *[Salvós] peregre quóniam advenís cena détur.* Etiam si longa syllaba finalis indubitata sit propter Nævii com. 93 *dómi patres patriam*

út colatis pótius quam peregrí probra septenarium trochaicum [Ribb. partic. lat. pag. 2], peregri idem tamen est ac peregrē, velut mortē codicibus inter se fluctuantibus idem ac mortī. Quæ quum ita sint, discriminibus argutis omissis præstat cum Ritschelio ,Nov. Plaut. exc.' pag. 89, Bergkio libelli de D finali pag. 18, Buechelero de decl. pag. 62, Ribbeckio l. l. pag. 2 peregrē locativum judicare; peregrĕ si quid est, correptum non esse opinari ex peregrē vel peregrī, sed aut accusativum neutr. aut locativum sive ablativum stirpis peregri ut ignĕ stirpis igni putare.

Mane et **mani** Buechelerus quidem l. c. 62 locativos esse putat, Corssenus autem vol. I 777 annot. nominativum vel accusativum generis neutr. ut mare, quod manifesto conservatum esse opinatur in locutionibus ut mane novum, ipsum mane, clarum mane, mane totum; ad hoc ,mane' nomen adverbia mane manī ablativos, non locativos refert, ablativi naturam elucere inde ratus, quod cum præpositione A componerentur: a mane, de mane, a mani. Contra Servius ad Aen. V 19 adverbium mane in nomen transiisse dicit. Hoc quod ad quantitatem finalis syllabæ nihil pertinet, non dijudico; illud majoris est momenti, quod Servius Plautum a mani propter tetraptoton, cujus pluralis usitatior: manes manium, vitasse affirmat; Mostell. tamen vv. 519. 754 Lor. a mani scriptum est, et Charisius pag. 203 K Sisenna autore mani diserte agnoscit. Quarum mane et mani formarum si mane prior ultimam syllabam brevem habet, quod inde conicias, quod mane novum ectr. dicebatur — nam versum non repperi, qui litem dirimat —, a mani forma altera non magis correptione propter longam priorem syllabam non concessa neque unquam necessaria deduces, quam mare sive nominativum sive ablativum a mari ablativo communi, vel igne ab igni.

Adverbium **forte** Buechelerus longo E finiri putat versu Mil. glor. 720 motus *Cóntinuo excruciárer animi : sín forté fuissét febris* [cof. Corssenum II 601], de quo paulo superius dixi. Cui quem Muellerus Plaut. Pros. pag. 20, nescio an animi causa, Amphitr. 826 αμετρον addit: *Amphitruo alius, qui forte te hic absente tamen* | *Túam rem curet* ectr. Vahlenus Hermæ vol. XVII pag. 601 *ted hinc absenti* scribendo ad justam mensuram

revocat, hiatum Lachmanno Lucret. pag. 388 tutante. Sed opus non est, longam vocis forte syllabam finalem devitare et perhorrescere; forti- enim stirps stirpi sanscritæ bhṛti ad literam respondet et longam in ablativo vocalem quondam habuit. Ex quo antiquiore fortē usitatum fortĕ extenuatum esse nimirum non magis cogito, quam ex partim partem, quia fortē et partim ad stirpes fortĭ partĭ, fortĕ et partem ad stirpes fort part refero, quæ fortis partis genetivis subesse videbantur. Ceterum fors quoque nominativus [Pott: Wurzeln Einl. 875] in adverbium transiit, quem solum vides Haut. 715 *Tú fors quid me fíat parvi péndis, dum illi cónsulas,* una cum ‚forte‘ sæpenumero.

Rĕpente ablativus sive locativus participii præsentis verbi repere, prima syllaba ictu insequenti correpta, videtur esse, ut ‚subito‘ omnes a subeundi verbo ducunt, potius quam ad verbum pertinere, quod græco ρεπειν respondere volunt quodque a latina lingua alienum esse putem.

Rite adverbium ablativum esse thematis ri-ti [juxta ri-tu-s] censet Corssenus vol. I 517; contra Mahlovius 54 et 155 ex locativo *ritēu ortum esse putat correpto E finali. Neque hoc in vocabulo correptione in jambis tantum concessa et usque ad tædium decantata opus est; nam quum sinĕ et ανευ præpositiones cognatæ sint, ritĕ ex *ritĕu repetere, si quidem Mahlowium sequemur, sufficit, et ritĕu sanscrito ṛtāu locativo ṛtu- stirpis opponere propter græcum Ζευς sanscrito dyāus oppositum licet.

Adverbiorum *postrīdie prīdie cotīdie perendie* finem die Corssenus II 855 locativum esse dicit, qui servatus sit in locutionibus, septimei die, die quinti e. q. s. a., contra in *hodie* ablativum die quærendum esse, quod credo hŏ ex hōd vel hōc mutilatum ei videbatur. Locativusne an ablativus sit -die, parum curo, quoniam de quantitate ago; atqui longa E vocalis finalis est et hodie longa finali vides Pseud. 228 R *nísi hodiē [mi] ex fúndis tuorum amícorum omne huc pénus adfertur,* Adel. 842 *hodié modo hilarum fác te* : : *Et istam psaltriam.* Breve finale E nusquam inveni, sed aut longum aut anceps. Die tamen in locutionibus die quarti, die noni ectr. finale E breve habet, quod non per se, sed copulate dictum est Gellio X 24 teste, ut E non finalis

sed media vocalis haberetur, quo de vide Brixium ad Men. 1156 et Bergkium de D finali p. 143.

De finalium syllabarum quantitate vocabulorum **here** i. e. heri [cof. Ritschelii op. II 255 sq.] et **vespere** [vide Ribb. partic. lat. 2] nihil constat. In Ovidii tamen Metam. IV v. 415, quem Kuehnerus maj. gr. lat. ling. I 308 cum aliis locis et Joh. Schmidt K Z XXVII 290 annot. afferunt, vespere nomem brevi syllaba terminatur, quam ex vesperē, quale fortasse adverbium erat, eo nemo repetet, quod vespere illo loco ablativos tertiæ declinationis imitari perspicuum est. Neque tamen continuo, sicubi idem adverbium et E et I terminatum videmus, E breve, I longum esse, quod in tertiæ declinationis ablativo eveniat v. c. ignĕ igni, necesse est opinemur. Nam E adverbiorum, quæ ad temporis notionem pertinent, eadem qua I fuisse videtur quantitate neque here ab heri, vespere a vesperi nisi levi proferendi discrimine declinasse. Deinde longum E in adverbiis ut ‚pulchre' habemus, quæ omnia D literam in fine amisisse non constat; longum E in imperativo secundæ conjugationis habemus — sat argumentorum ad opinionem, E longum nisi consona tectum non posse servari in fine vocabulorum latinorum, refellendam.

Adverbium **pone** cum Corsseno I 183 annot. et Savelsbergio in Mus. Rhen. XXVI 385 [sep. p. 45] ex *pos-ne [cof. zend. pasnē] omnes ortum esse arbitrantur; nam forma *post-ne, ad quam iterum *posne referunt et illi et Mich. Bréal tab. Eug. p. 9, facile caremus, quum Umbrorum postne et Latinorum pone ad literam inter se convenire necesse non sit; deinde quin stn æque ac sn extenuetur valde dubito, quod, ut ex aisne ain, ex videsne viden, ex visne vin factum est, sic ex postne pone factum esse exemplorum auctoritas deest; jam vero poste qui integram pro post formam fuisse autument, pōne neque a postne poterunt neque a postine audebunt repetere. Finalem autem syllabam nĕ ut Savelsbergius l. c. conjecit, adverbia supernĕ et infernĕ, fortasse pænĕ et sinĕ præpositio præbent, debilitatam compositionis caussa dēnĭque et dōnĭcum dōni-que*), unde simplices formas *dēnĕ *dōnĕ,

*) de doneque forma, unde donec commune, vide Herm. II 468; itidem ex neque nec, ex quandoque quandoc Festi [Bergki lib. de D finali 29] nata sunt.

eodem suffixo a præpositionibus dē et do [cof. en-do et zu nostrum] ductas, depromere licet [vide Savelsbg. p. 19 sep. Corsseni Beitr. 85. Nachtr. 155]. Non -ne suffixum, sed negativam syllabam in dōnique dēnique Ribbeckius libelli de partic. lat. p. 48 deprendit, quod subtilius mihi quam verius videtur. Hæc omnia igitur vocabula suffixo nĕ formata, non correptione ex antiquioribus quibusdam formis longioribus orta sunt; sinĕ vocula ipsa, quæ sola varias de priore et de posteriore partibus suis dubitationes excitat, finalis syllabæ correptionem quamvis jambica passa non esse videtur, sive suffixo -nĕ prædita est sive cognata græcæ ανευ præpositionis, quam de Saussure p. 46 libri sui notissimi et Mahlowius p. 54 dissertationis de longis A E O vocalibus locativum stirpis sénu snú esse suspicantur, qua de re vide supra.

Adverbiorum **prope quippe sæpe nempe** pars altera suffixum pe est, quod servata semper alibi syllaba brevi apud Ennium satirarum v. 26 *quippé sine cúra laétus lautus cum ádvenis* Ribbeckius libelli de partic. lat. p. 17 longum esse dicit. Sed arsin syllabis -pé sĭ- contineri, nisi qui Ritschelii legis metricas noluerit violare, negabit; eandem prorsus pedum rationem præbent, quos p. 39 descripsi v. v. 605. 714 Trinummi *doté sine, doté neque.*

Particulæ **fere** et **ferme** finalem longam habent, atque ferme quidem jure meritoque, quod ex ferime contractum superlativi rariorem formam celare Ribbeckius in copiosissimo de partic. lat. libello p. 6 sensit. Fere contra usitatissimam et jambicam vocem Ausonii demum ætate in fine corripi, sane est quod miremur, nisi forte spondeus ferme jambum fere eodem sensu conjunctum a correptione defendit. **Euge** longum E præbet Andr. 345 *Te ípsum quæro ; eugé Charine ! ambo ópportune vós volo.* Bacch. 1105 *Hic quídĕmst patĕr Mnésilochi* : : *Eúgē socium ærúmnæ et meí mali vídeo* [anapæst.]. Voculam, quam sæpe opportunē lepidē commodē alia sequebantur, inter adverbia vulgus sensu linguaque recepit et ex E longo signo adverbiorum affecit; breve enim E jambis tantum concessum erat.

Interjectio **hercle** sive vocativus est stirpis Herclo-, quæ Sabellorum et Oscorum propria neque forsitan Latinis incognita erat, sive, quod præfero propter alteram mehercle scil. juvet formulam, nominativus Hercles mutilatus — nihil refert, quod

interjectiones legibus grammaticis exemptæ sunt. Abjecta igitur S consona sit, correpta vocalis E sit nominativi Herclēs — nemo neque nos neque linguam inconstantiæ poterit accusare; ceterum videas Jordani Symbol. crit p. 16, Corssenum vol. II 77, Muelleri Pros. Plaut. Addit. 53.

Temere vocis finale E semper breve inveniri apud Plautum et Terentium ideoque in hexametro semper elidi lego in Kuehneri majore gramm. lat. ling. [1877] p. 143, quod si est — nam ego locum apud scenicos non inveni, quin longum quoque permitteret — Fickius ‚temere' in lexico indogermanico I 90. 593 non pro adverbio adjectivi temerus, quod cogitari possit, habere debebat; locativus potius nominis neutr. gen. est et cum sanscrito tamasi*) ad literam concinit; neque locativus adverbiali muneri ineptus est, ut sanscr. rahasi, quod clam, secreto significat, docere potest; correptam ergo temere adverbii finalem vocalem ex longa esse temere profecto et inconsiderate diceres.

Propere quidem longam syllabam finalem habet, ab adjectivo properus a um ductum, quod nostro vorfahren exponi possit, ut perperam nostro zerfahren; nam eadem radix est quæ in experiendi comperiendi verbis. Adeo igitur propere a temere discrepat, ut finalium quantitas diversa non offendat.

Eccere sexties in Plauto, semel in Terentio [Phorm. 319] occurrit aut in fine versus aut ante vocalem, Amph. v. 554 excepto *mihí prædicas. Écceré jam tuátim facis tu,* ubi syllaba finalis sine dubio longa est [vide Ribb. de partic. p. 44], quod in ceteris versibus statuere licet. De vocis origine non disputo, satis habeo longam in fine syllabam antiquam et nativam judicare.

Vĕ encliticam a verbo vīs ductam esse Corssenus vol. II 246 S sublato et ī in ĕ extenuato falso putat. Idem potius esse ac -Fε vocis ηFε cum aliis viris doctis existimo idemque ac -va sanscr. vocum iva eva [cof. K Z XXII 443], quicquid de sanscriti vā longa vocali cogitas.

---

*) tamas significat: Finsterniss, Dunkel, die über den Geist ausgebreitete Finsterniss: Irrtum, Verblendung, Wahn.

Negandi vox nē, quæ a conjunctione ni i. e. nisi non separanda et in monumentis nei sæpe scripta est*), sanscrito nā, quod uno scholiastæ unoque Vedorum loco invenitur, græco νη, dorico νᾱ [v. Joh. Schmidt K Z XXIII p. 275 sq.] propter vocalium diversitatem, ut Corssenus vol. I 786 et Curtius Etymol. gr. num. 437 censent, vix respondet, quamquam sunt, qui conjunctionis uti et perfecti activi tī finale sanscrito thā adverbiorum yathā kathā tathā et vedici perfecti comparent, sed sanscrito ned i. e. na-id [cof. sanscr. ced i. e ca-id], zendico nōiṭ naēd[h]a congruit; accusativi pronominum quoque personalium mēd tēd *sēd haud scio an, ut alicubi Joh. Schmidt suspicabatur, eandem, quæ jam in Vedis libenter pronominibus adhæret, id particulam includant; vide Mahlowium p. 166. Altera autem negandi nĕ vox sanscritum na, slavicum ne est, neque Corssenus quidem eam ex particula ne ni nei ortam esse opinatur, ut refutatione consueti erroris nunc supersedeam. Cui qui obnoxius est Ribbeckius libelli de part. lat. p. 12 sq., ipse lectori religiones movet, quum longam vocalem voculæ ne nei ni enclitice positæ elidi posse non dubitet contendere, neque Plauti editores Brixius ad Mil. glor. 599 et Lorenzius ad eundem versum nē et nĕ separant, quæ sane promiscue sæpe ursurpari nēquam nēquior et nĕqueo nĕqueunt satis superque docent.

4. E conjunctionis que.

Corssenus vol. II 470 conjunctionem que origine ablativum correptam esse dicit ex *quēd, quum proprie significet ut, velut. Sed nativæ longitudinis, saturninis quattuor versibus quos nos negligimus exceptis, neque apud Plautum neque apud ceterorum scenicorum quemquam ullum vestigium inveniri Corssenus ipse confitetur, neque ipse epicorum que ictu erectum homerici usus imitationem esse ignorat. Quam voculam ut a cognatis ca Indorum et τε Græcorum sejungeret, nemo nisi Corssenus a se impetravit. In alia autem sententia omnes fere adhuc sibi assentientes habet. A conjunctione enim que, quæ atque itaque namque voculis quoque inest, alteram que pronominum quis-que uter-que, us-que quando-

*) v. Corssenum I 785, Ritschelium opusc. II 624 sq.

que e. q. s. a. ampliativam secernit et ablativum indefiniti pronominis quis quid esse censet propter particulam píd oscam pronominis potorōspíd i. e. utrique et umbricam -pei -pē adverbii panu-pei i. e. quandoque. Sed particula píd nullo modo latinæ que æqualis esse potest: namque aut pīd longum est, tum in lingua latina quīd quī exspectes, aut pĭd breve est, tum latinum quĭd respondet; litera enim D remanet post vocales breves, ut quòd sĕd ĭd illŭd e. q. s. a. monstrant; neque omnino est, cur eandem prorsus syllabam utraque lingua ad eundem finem elegerit; persicum quidem cī, quod si literam consonam in fine perdidisset, vocalem non produxisset, cum zendico ciṭ non convenit [cof. St Z XIV 312], licet ambabus voculis in his gemellis quasi dialectis eadem quæ osco -pid et latino -que potestas indefinita insit. Itaque hoc -que, quod pronominibus affigitur, non magis differre arbitror a conjunctione que, quam græca τε homerici pronominis relativi ὅςτε a conjunctione τε [cof. Kuehneri majorem græc. ling. gramm. II 701]; in absque præpositione sola quid que subjunctum sibi velit, æque atque H. Jordanum Symb. crit. pag. 312 sq. me ignorare profiteor. Correptionem ergo illam quam pro virili parte impugno, neque hoc que neque illud accepit.

5. Præpositiones ante et poste.

Præpositiones ante et poste ablativos stirpium I vocali exeuntium esse dicit Corssenus vol. II 471, suffixo īd in ĕ extenuato. Sed explicari nequit, qua de causa Latini, D sublato non contenti, quod reliquum esset antī et postī, extenuarint, quum hæ voculæ jambicæ non sint, et si essent, sola correptio vocalium qualitate integra sufficeret, ut ex mihi tibi sibi ibi ubi conicere licet; neque enim jam igni igne, florenti florente alia, quæ aliter supra explicavi, afferri possunt. Sed antid postid longam finalem habuisse ii excogitaverunt, qui ablativos esse ut igni brevi acri sibi persuaserant; in versibus brevis syllaba apparet v. c. in póstĭdeá loci formula, in ántĭdeó prima sing. persona, in antĭdhac versum finiente ectr., nusquam longa reperitur. Postid antid vero brevi syllaba D conservassent ut illŭd aliŭd istŭd ectr.; neque ex -tīd neque ex -tĭd -te vocum de quibus dissero

nasci posset. Quibus igitur locis post id — ‚ea' enim assecla abesse potest — copulate legi jusserat Ritschelius, ut poste post præpositionis formam primigeniam oculis repræsentaret, eis locis suo jure Bergkius l. c. pag. 89 sq. traditum duas voces legendi modum restituit, eo potissimum motus, quod post id locorum locutione non solum Plautus Cas. I 32. Pœn. I 1, 16. Truc. III 1, 16 — de quo cof. Brixium ad Trin. 529 — sed etiam Sallustius utebatur, quem priscas formas nativas præbere ne cogitari quidem possit; nam genetivus solus ‚id' neutrum unde penderet non flagitasset, ut v. c. interea loci Men. 446. Eun. 126. 255, postea loci Iug. 102 et quod supra commemoravi postidea loci Stich. V 5, 17 docent. Omnem autem dubitationem ad id loci, ad id locorum copulationes tollunt Sallustianæ et Livianæ, quarum Bergkius eodem loco mentionem fecit.

Quodsi postid antid neque ablativi neque omnino ita comparati sunt, ut poste ante præpositiones inde repetamus, quid de postidea antidhac adverbiorum [postidhac nusquam legitur et antidea apud Livium emendatio verisimilis est] et antideo antidit verborum compositorum natura censeamus? [v. Ritschelii op. II 270. 542]. Haud continuo spernendam, quamvis non certam sententiam propono hanc: ex post id et posteā conflatum esse postideā, ex anteā et antid[=ante id] quod fuisse potuit antideā; ideo certe id et eo, quorum utrumque propterea ‚ob eam rem' significat, continet; nam ‚id' solum ad causam referri posse Mil. glor. versu 1158 et eis quæ ibi Brixius congessit, perspicue probatur. Jam quemadmodum id venimus et eo venimus in ideo venimus coaluerunt, sic postid et postea in postidea. Hoc tamen si negas, id saltem necesse est confitearis postidea a postea eisdem literis differre, quibus ideo ab eo, quocirca ablativi signum esse non possunt [v. St Z XIV 328]. Formæ antid-eo antid-it ad eundi verbum pertinentes solæ aliquantum molestiarum facessunt; sed postidea pro postea, antidhac pro antehac semel fictis nonne in promptu erat, pro ante eo ante it formas id syllaba auctas imitando creare?

Contra hæc multo simplicior originatio se offert: ante et poste ex *anti *posti orta sunt: adverbio ante αντι Græcorum respondet, poste compositum est ex pos- [vide pōne ex *pōs-ne]

et eodem suffixo te i. e. -ti, quod in αντι, προτι conspicitur; T nimirum sola litera adeo non sufficit, ut poste veram et nativam formam, sive tradita sit sive non sit [v. Corssenum vol. I 183 annot.], existimare cogamur. Quo major oritur difficultas explicandi, quonam modo poste vocali sua finali privatum sit; nam I finale in latina lingua fit E. Sed postid postea posthac multo usitatiora quam quæ respondent antid antea antehac fuisse, id per se ipsum probabile est — modo cogites, quoties nos confabulantes und darauf interseramus, quoties Francogalli et puis, Italiani poscià — et inde argumentari possumus, quod antid nisi in compositionibus, quas diximus, apud Plautum non legitur. Ex his ergo compositionibus, quarum posteriorem partem id ea hac esse nemo non sentiret, priorem seorsum quoque cœptam esse usurpari suspicor; quare Ritschelius si op. II 552 forte factum esse contendit, ut ant non in lucem prodiret, non quo solebat acumine rem perspexit. In Oscorum tamen dialecto et post pust et ant extant [v. Soph. Bugge ‚Altital. Stud.' 11/12, K Z XXII 395], quod meæ sententiæ non repugnat; nam non hoc sentio, ant non potuisse nasci, sed hoc, multo facilius quam ant potuisse post nasci; præterea ante post inter se contraria et propter id ipsum connexa sunt, ut, quæ forma alteri placuit, facile alterum assumat, quo magis notionum diversitas similitudine sonorum eniteat.

6. E imperativi activi secundæ et tertiæ conjug.

E vocalem secundæ conjugationis longam esse constat, quippe quæ ex E + E contracta sit. Quæ quidem forma jambicorum vocabulorum bisyllaborum corripitur, si aut duæ syllabæ in thesi sunt velut *căvĕ te ésse* aut prior syllaba ictum habet velut *vídĕ quam* [cof. Spengelium ad Andr. XXVI]; sic syllabam correptam præbent: cavĕ habĕ jubĕ manĕ monĕ movĕ tacĕ tenĕ valĕ vidĕ, quorum ætate aurea cavĕ apud Catullum Horatium Ovidium, avĕ in Ovid. am. II 6, 62 inveniuntur. Poetæ ætatis argenteæ E imperativi etiam polysyllaborum vocabulorum corripiunt.

Tertiæ quoque conjugationis E finale longum esse putat Wagnerus in Mus. Rhen. XXII 119 sq. in versibus qui sequuntur:

Pers. 398. *Vel tú me vende vél facé quid tibi lubet;* sic etiam A, ubi forsitan me ablativus ante face intercalatus metrum restituit.

Capt. 441 Br. *Hóc agé: tu míhi erus nunc es, tú patronus, tú pater.*

In prima editione Brixius brevem finalem absoluta sententia excusatam esse dicit, id quod Corssenus II 473 annot. comprobat. In altera autem editione *Hóc agĕ: tu mihí nunc erus . . .*' verba collocat et dimetitur; in tertia denique e conjectura C. F. Muelleri Plaut. Pros. pag. 677 nunc addit sic: *Núnc hoc áge: tu míhi erus núnc es* ectr., quavis ratione mensuram agé evitare videtur.

Poen. 1260. *Pater, té complecti nós siné :: cupíte atque exspectáte*

Sed in hoc versu syllaba anceps est propter cæsuram et personæ mutationem. Confer versum

Haut. 694. *Loquere: aúdio :: at jam hoc nón agis :: agám :: videndumst, ínquam.* Vide pag. 15

Pseud. 359. *Íngerĕ mala múlta :: jam ego te dífferam dictís meis*

Mil. glor. 226. *Réperi, comminíscerĕ, cedo cálidum consiliúm cito*

In his duobus versibus ĕ dimetiri licet arsi in duas breves syllabas soluta, neque opus est conjectura ‚comminísce cedodum', quamvis aliquanto numerosiorem reddat versum. Vide Brixium ad Mil. glor. 27.

Trin. 289. *Céterá rapĕ trahe fugé late.*

Hæc est Wagneri mensura l. c. 425, Corsseni autem: *ceterá rapé trahĕ fúge late.* In altera editione Brixius conjectura harpaga pro rape omissa in *cétera rápĕ trahĕ fúgĕ late* verbis imperativos rape trahe proceleusmaticum efficere censet, postquam Ritschelius tene, quod prius post trahe interposuerat, retracto ad Trin. 289 [1871] scripsit: Proceleusmaticum *rape trahe* dedita opera a poeta quæsitum puto . . . . De jambica mensura *fuge* vocis nec Crainero nec Corsseno ‚de enuntiatione' e. q. s. I[1] 339 nec Wagnero Mus. Rhen. XXII pag. 425 credendum. — Hic iterum, quantopere portentosum E longum imperativi tertiæ con-

jugationis omnes excepto Wagnero aversentur et respuant, spectare possumus, nec profecto mirandum est. Nam si alicujus sive in declinatione sive in conjugatione syllabæ brevitas explorata est et extra dubitationem posita, E imperativi activi tertiæ conjugationis breve et est et semper fuit, ut linguæ cognatæ demonstrant, quod fusius exponere non jam opus esse videtur.

7. E infinitivi activi.

E infinitivi activi quum apud scenicos tum in ætate aurea breve est. Versus tamen hi sunt, in quibus E longum esse videtur; senarios primo loco pono:

Trucul. 425. *Non aúdes aliquid míhi daré munúsculum*

ubi levis foret verborum inversio *dare mihi*, nisi eorum versuum præstaret meminisse, quos pag. 9 congessi.

Trin. 584. *Non értumst sine dote haúd daré* : : *Quin tu í modo*

quo in versu Brixius productam syllabam finalem esse negat, ancipitem syllabam eisdem quibus hiatum conditionibus, fortiore scilicet interpunctione et personæ mutatione, concedi arbitratur.

Mil. glor. 848. *Nunquam édepol vidi prómeré, verum hóc erat*

Ibi ne Brixius quidem longam syllabam agnoscit, sed culpam metricæ offensionis in moram magnam, quæ duas sententias separet, audacter confert; nam ea mora, quam magnam vocat, Buechelero de decl. lat. pag. 63 [§ 314] minuta videtur neque sufficere, quo poeta brevi pro longa syllaba utatur.

Titin. 105. Ribb. com. *Ipsús quidem hercle dúceré sané nevolt*

Andr. 437. *Potin és mihi verum díceré?* : : *nil fácilius*

ubi personæ mutatio fit. Cum his versibus compara versus pag. 9 allatos, quo scenicos hiatum et syllabam ancipitem hoc senarii loco in se admisisse tibi persuadeas.

Deinde syllaba anceps est propter cæsuram in tetrametris jambicis catalecticis sive septenariis hisce:

Asin. 420. *Abscéde ac sine me hunc pérderé, qui sémper me ira incéndit*

Asin. 442. *Quid rélicuom?* : : *aibat rédderé quom extémplo redditum ésset*

Mil. glor. 1239. *Si pól me nolet dúceré uxórem, genua ampléctar*
Mil. glor. 1275. *Ad se út eas : tecum víveré volt átque ætatem exígere*
Pœn. 818. *Studeo húnc lenonem pérderé qui méum erum miserum mácerat*
Haut. 724. *Decém minas quas míhi daré pollícitust, quod si is núnc me*
Eun. 261. *Tum fácile victum quaéreré : homo coépit me obsecráre*
Eun. 1012. *Quid? ílicone crédere quæ díxi oportuít te?*

Horum versuum infinitivos ancipiti finiri syllaba, non longa propter solam cæsuram intelligimus hisce ex versibus;

Mil. glor. 397. *Timeó quid rerum gésserím : ita dórsus totus prúrit*
399. *Nunc nóstrum observare óstiŭm ubíst : : at Sceledre quaéso*
1269. *Jndúxi in animum, ne óderím : ítem ut álias quando orásti*
1273. *Postquám te aspexit : : Víri quoquĕ armáti idem istuc fáciunt* [cof. Ritschelii nov. exc. Plaut. 43]
Haut. 699. *At enim ístoc nil est mágis Syré meis núptiis advórsum*

Idem cadit in tetrametros jambicos acatalecticos sive octonarios hosce :

Merc. 125. *Perii : ánimam nequeo vórteré : nimis níhili tībicén siem*
Amphit. 157. *Nec caúsam liceat díceré neque quícquam in ero sit aúxili*

In his versibus arsis soluta esse et brevem syllabam insequentem complecti potest.

Andr. 238. *Uxórem decrerát daré sesé mihi non opórtuit*

quo in versu syllabam re longam non esse concedit Spengelius Haut. v. 724 allato.

Andr. 613 Fl. *Qui súm pollicitus dúceré? qua audácia id facere aúdeam?*

e Fleckeiseni conjectura. Quem versum alia ratione motus quam quod syllabam ancipitem -re ægre ferebat [v. annot. critic.] Spengelius sic dividit:

[Negábon velle mé modo] qui súm pollicitus dúcere?
Qua audácia id facere aúdeam?

nam quales licentias hoc quoque metrum in cæsura permittat, hi versus docent:

Andr. 957. *Províso, quid agat Pámphilŭs : atque éccum : : aliquis me fôrsitan;* vide pag. 11.
Amphit. 250. *Perduélles penetrant se ín fugăm : ibi nóstris animus ádditust*
Amphit. 211. *Hæc úbi Tēlebois órdiné iterárunt quos præfécerat*
Amphit. 190. 192. 199. 208.

qui omnes in cæsura hiantes vocales habent.

Tum septenarios trochaicos sive tetrametros trochaicos catalectios exscribo:

Pseud. 355 R. *Égo scelestus núnc argentum prómeré possúm domo*
Asin. 250. *Átque argento cómparando fíngeré fallácíam*
[252 *Ígitur inveniúndo argento ut fíngerés fallácíam]*
Mil. glor. 1316. *Tíbi salutem mé jusserunt díceré : : salvaé sient*
Merc. 934. *Stúltus es. Noli ístuc quæso díceré : : certum éxequi est*

quibus in versibus personæ quoque mutatio syllabam ancipitem excusat. Vide Mil. glor. 848 Br. Consimiles versus sunt:

Men. 842. *Út ego illic oculós exuram lámpadibŭs ardéntibus*
846. *Príus quam turbarúm quid faciat ámpliŭs : : enim haéreo*

alios supra [pag. 29/30] congessi, qui eodem loco syllabam ancipitem permittant.

Arsi secundi aut antepenultimi pedis in duas syllabas breves soluta, infinitivus longa vocali finiri videtur; atque primos ponam eos versus, qui cæsuramne an solutam arsin habeant, dubitari potest:

Phorm. 996. *Auscúlta* : : *pergin crédere?* : : *quid ego óbsecro?* arseos inter duas personas divisæ exemplum præbet

Andr. 267. *Quis hic lóquitur? — Mysis, sálvæ* : : *O salve, Pámphilĕ* : : *quĭd agít?* : : *rogas*

quod si non placeat, et cæsura et personæ mutatio syllabam ancipitem permittunt.

Mil. gl. 27. *Quid brácchium?* : : *illud dícere voluí ‚femur'*

Hæc est lectio codicum; Ritschelius autem op. II pag. 437 sq. legit: *illud féminur volui dícere,* quod corrigendi formula non *dicere volui*, sed *volui dicere* ordinem verborum posceret, velut Most. 830 R., Pseud. II 4, 21. III 2, 55. Rud. II 4, 9. Amph. I 1,228. Cas. II 6,14, quibus in versibus locutio *volui dicere* in fine versus posita est, ut ab hac quidem parte Ritschelii emendatio commendetur. Nam metricæ rationes versus, qualis in codicibus scriptus est, emendationem non desiderant.

Men. 887. *Utrúm me dicam dúcere medicum án fabrum?*
Poen. 628. *Eum opórtet amnem quaérere comitém sibi*
Poen. 821. *Attát e fano récipere videó se Sincerástum*
Poen. 1264. *Vix hóc videmur crédere* : : *magis quí credatis dícam*
Pers. 552. *Haút potui etiam in prímo verbo pérspicere sapiéntiam*
Amph. 345. *Át jam faciam ut vérum dicas dícere* : : *quid eóst opus*
Stich. 513. *Quám me ad illum promíttere nisi nóllem ei advorsárier* (sic A.)

Deinde eos subjungam, in quibus arsis soluta est:

Andr. 23. *Male dicerĕ mălе fácta, ne noscánt sua*
Andr. 535. *Meam núberĕ tŭo gnáto : id viso tún an ílli insániant*
Persa 826. *Rédderĕ Dĭodórus quem olim fáciebat in Jónia*
Mil. glor. 619. *Óbicerĕ nĕque té decōra néque tuis virtútibus*

In hunc catalogum versus non recepi satis multos, qui essē possē vellē cogerent dimetiri, quos in Muelleri Plaut. Pros. pag. 22 sq. et in Additam. pag. 5 inspicere licet. Nam verba auxiliaria potissimum sensuque levissima E longum conservasse credat Judæus Apollo.

Si rerum capita summatim repetimus, -rē infinitivi nullo versu ita collocatum inveni, quin alios versus eisdem metricis rationibus compactos reperire potuerim, qui illi E longo brevem

syllabam opponerent; itaque -re infinitivi longum esse non ea confidentia qua solebant et solent autumare licet; immo triginta fere exemplorum quibus nitebantur copia remota breve semper fuisse verisimilius videtur. Dativi igitur naturam, quam infinitivo latino inesse dicebant, quamquam dativi in E breve exeuntes non extabant [v. Neue I[2] 195] versibus plebejorum exceptis [Bucheler-Windek. § 279], decantata illa ‚vivere' latini cum vedico jívase comparatione non amplius efficere poterunt; neque correptam ex -re longo finalem infinitivi syllabam esse sive Plautinis demum sive quæ eum antecessissent temporibus audebunt contendere, quum aliam, qua et formam et usum infinitivi intellegamus, sententiam proponere contigerit. Locativum autem eum esse jam Buechelerus de decl. lat. p. 62 [§ 314] suspicatus est, et novissime [St Z XIV 326] vir doctus copiosius disseruit, quam ego sententiam amplector; nam ut ‚temere' idem esse quod sanscritum tamasi supra dixi, ita ‚vivere' cur non vedico qui cogitari potest locativo *jívasi respondeat? Num locativum dativo minus aptum an minus usitatum esse putabimus, si cognatarum linguarum infinitivos reputaverimus? Num per omnia singula latinam linguam et vedicam inter se concordare necesse est? Num denique usus infinitivi, si pro locativo acceperimus, minus perspicuus est? Infinitivo vero quemadmodum significavi explicando adhuc vigentem correptionis opinionem, unde exorsa disputatio mea est et quo semper revertitur, multo infirmiorem me reddidisse confido.

III. Formæ quæ in I terminantur.

Quum I longum, aliquot jambicis vocabulis de quibus postea agam exceptis, quantitatem servaverit, I breve non tollitur, quod opinantur fieri Frœhde in B B VII 104 sq., alii, sed semper et ubique in ĕ mutatur. Nec alienum esse videtur ab hoc loco singula vocabula pertractare, quibus ĭ sublatum vel dicitur vel videtur.

Ac primum quidem vocalem ĭ, communem trium singularis personarum et tertiæ pluralis partem, in -mi -si -ti -nti intercidisse dicit Corssenus et qui eum sequuntur. Sed primarium, quo potissimum utebantur argumentum, tremonti illud carminis

Saliorum robigine antiquitatis venerandum, proferre non amplius possunt, postquam Jordanus Symb. crit. p. 214 sq., quam dubia autoritate traditum esset, primus docuit. Sola Oscorum satis constans præsertim in tertia sing. persona signorum distinctio, quam Soph. Bugge in præclara K Z XXII 385—418 dissertatione exposuit, adhuc superest, unde apud Latinos quoque duo signorum personalium genera antiquitus fuisse coniciamus, quæ Indos et Græcos severissime alterum ab altero discernere omnes sciunt. Quod si Latini prisci fecissent, tamen lex, qua I finale evanescere opinantur, omne discrimen disturbasset, nisi vestigium prima sing. persona indicativi præsentis perfecti futuri, quæ paucis verbis exceptis omnino *mi* non haberet, servavisset. Quam legem commenticiam nunquam valuisse formæ ut acre forte mare neutr. gen., ut jam dixi, quæ non nisi ex acrĭ fortĭ marĭ ortæ esse possint, luculenter demonstrant. Sed audeamus sapere, ponamus signa personalia quæ imperfectum decerent, in præsens transiisse, quid ibi mirum? Græca ιστης τιϑης διδως præsentia non pudet hoc fecisse, et doricum φερες præsentis ejusdem personæ quod Joh. Schmidt K Z XXV 25 ex φερεσι repetiverat, hodie per I literæ apocopen ne ipse quidem explicet, quippe qui, quos locativos ut φερεν ex φερενι K Z eodem loco explicaverat, K Z XXVII 306 sine I ab initio formatos judicet. Eodem modo, quo Dores nonnulli separatim ad secundam sing. præsentis personam formandam ς, non σι adsciverunt, Latini idem per omnes sing. et plur. formas facere potuerunt, quid rerum Osci et Umbri gererent, non admodum curantes.

Nihilo tamen secius unum est, quod opponant: -od -ad -o -a ablativi et -tod -to -ntod -nto imperativi in opinionem adducere possunt, quasi post longas vocales T indogermanicum in D emollitum postremo in nihilum extenuari debuerit, quare laudā[d] non laudăt, dabā[d] non dabăt haberemus; quod quum factum non esset, ti, non t, primitivum personæ signum fuisse. Sed D ablativi et imperativi ultra latinæ linguæ origines recedere, Oscorum dialectus, quæ et ipsa -d eisdem locis præbet, indiact; immo italicis linguis multo antiquiorem esse, D pronominum id quod ectr., Latinorum Oscorum Umbrorum proprium Germanisque commune, satis docet; nam copiosius hæc disserere post Soph. Bugge K Z XXII 399 plane

inutile est. Hæc ergo lex est latinæ linguæ, ut T finalis maneat, D finalis post longas vocales extenuetur, post breves fortiter resistat.

Atqui Osci D finale non solum in ablativo, in imperativo, in neutris pronominum præbent, sed etiam in tertia sing. persona conjunctivi, optativi, perfecti, ubi T exspectes; nam perfectum personarum signis in plerisque nostræ familiæ linguis longe a præsenti recedit. Quæ difficultas haud ita magna videtur; Oscorum enim lex T finale post longas vocales in D debilitari jubet, quod a prisco illo ablativi imperativi neutrius D bene dignoscendum est. Novam sane legem esse concedo, fictam esse nego; ubicunque D tertiæ sing. personæ signum invenis, nonne reapse longam vocalem prægressam vides, aut ā conjunctivi aut ī optativi aut ē [ı] perfecti? Quis finis sit hujus digressionis, non jam latet: non grammaticis rationibus apud Oscos discrimen personalium signorum effectum esse, sed physicis legibus, non hereditatem quandam indogermanicam, sed naturalem necessitatem, non verum et probum, sed simulatum et fallax.

Unum exemplum repugnat: faamat i. e. habitat; nam A primæ conjugationis quin longum sit, quis dubitat? primæ conjugationis verba in hac persona verba tertiæ imitari, v. e. faamat imitari angit, si quidem præsens indicativi est, videntur, ne eodem tempore in formas nimis dissimiles dilabente categoriæ unitas periclitetur. Alterum tabulæ Bantinæ angit si optativus sit, non multum nocet, quia, ut Soph. Bugge l. c. 397 demonstrat, Osci latinis literis usi, non tam diligenter quam ipsorum literis mori T et D discernendi obsequantur. Tertium denique stait ex stajĭt contractum esse, staiet plurali et umbrico stahitu stahituto comparatis liquido apparet.

Attamen obiter munere meo defungerer, si tacerem, in plurali quoque T præsentis indicativi ab ns reliquorum modorum et temporum aliquantum discrepare, set =sunt, censazet=censebunt ab fufans=erant, profattens=probaverunt, deicans=dicant, tríbarakattins=ædificaverint. Hoc ns certe nihil priscum est neque ullo modo, ut Soph. Bugge l. c. 395 fecit, ad sanscritum us, quale in abibharus dadus dadyus videmus, comparandum, sed plane novum et singulare. Equidem legem fuisse suspicor, ex qua post longas

vocales ut T in D ita nt in ns debilitaretur; nam ex nt, non ex nti, sive discrimen grammaticis rationibus niti opinamur, sive sonorum diversitate effici censemus, finales ns deducendæ sunt. Quæ sententia ne in malam partem accipiatur, Jordanus me tutabitur, qui Symbol. crit. pag. 221 dicit veri simile esse, Latinos Umbros Oscos ab initio nihil aliud nisi tremont protulisse, summum hoc in tremot corrupisse; sed si qua italicarum dialectorum pars eo venerit, ut in aliquot modis temporibusve nt in ns deflecteret, id intra Italiæ fines eodem modo novatum esse, quo futurum et imperfectum tempora B litera incipientia.

De adverbio post ita supra disserui, ut I finale cujusvis vocabuli perire eo demonstrari nequeat.

Ut tertio loco veniam ad adverbia noctū diū, Joh. Schmidt K Z XXVII 304. 308 ea locativos sine I formatos judicat et ad *noctou *noctēu, *diou *diēu formas refert, exemplo ex sanscritis locativis ut bhānāu sanscritæ stirpis bhānu ‚splendor sol' sumpto; K Z XXV 59 autem instrumentalem esse putaverat, formis diū et divā, diūtinus et divātanas comparatis. Contra Frœhde BB. VII pag. 121 diū pro ablativo *diud habet, quippe qui in vocibus diūtinus et diutissime T signum ablativi servatum esse opinatur. At voces diūtius et diūtissime literam T ex adjectivo diūtinus potius arcessunt; præterea, ut supra monitum est, non T, sed D ablativum finit in italicis certe dialectis. Vocalis igitur I sublata non est.

Sequuntur duæ voculæ, in quarum fine I vocalem intercidisse non nego; aut αυτι[ς] sive αυτε et ετι; hoc autem nego eas tales esse, ut omne I finale abjici necesse sit statuere. Voculæ enim istæ, ligamenta potius quam partes orationis, in omnibus linguis quam levissimæ et minutissimæ sunt, ne sententiarum decursum impediant. Itaque duarum brevioris ‚et aut' et integræ ete aute formarum brevior ubique usurpabatur, quæ ante vocales tantum, si non animus orationem regeret, locum habere debebat, et longior ete aute forma memoria usuque loquentium excidit. Harum simillima vocula ut utrum ex ute i. e. utĭ an ex utī ante vocales nata sit, dubius hæreo, quoniam illa forma in utĭnam neutĭquam utĭque compositis videtur latere, hæc etiam simplex sæpissime invenitur, illa latinam itĭ compositi itĭdem adverbii et

sanscritam iti particulam compares habet, huic forsitan yatha katha tathā [Boppi gramm. compar. II § 425], ita respondeant, ut tī perfecti vedico -thā. Atqui is, qui uti primitivam formam probaverit, num I longum in fine aliorum vocabulorum latinorum manere serio negabit?

Præpositiones si quæ I finali orbatæ sunt, ut per, si quidem jure ad græcum περι Frœhde BB VII 104 refert, ad, quod cum sanscrito adhi conjungendum esse Soph. Bugge K Z XXII 400 negat, super quocum υπερ et sanscritum upari aliquo cognationis vinculo cohærent, non magis I vocalis apocopen in omnibus vocabulis fieri probant, quam ab et sub præpositiones, quas græcis απο et υπο respondere quivis videt, vel ceu neu seu nec ac particulæ, pro quive neve sive neque atque, ubique O vel E breve in fine tolli. Sed non solum per et ad præpositionum veriloquia incertissima sunt, sed etiam super et υπερ mutilatas esse et posteriore parte mancas ego negaverim; eodem modo formatæ esse possunt, quo ατερ, quod ex *sntér ortum proxime ad nostrum sonder accedit, et inter, quod nihil in fine perdidisse sanscritum antar [cof. punar] testatur, et hoc ipsum inter, si superi supere primitiva forma fuisset, cujus I finale vocales sequentes hausissent, multum conferre poterat, ut super brevior forma concinnior videretur.

Multum valent ad nostram quæstionem quot et tot, quippe quorum formas primitivas *quoti *toti fuisse ex totidem et sanscrito kati tati intelligamus. Eadem hic ratione, quam ad post explicandum adhibui, utar. Nam et composita cum vocabulis, quæ vocalibus incipiunt, et cum formis verbi auxiliaris conjuncta ut estis erant eritis, quot tot proferantur necesse est, quæ semel prolata etiam ante consonantes usurpare licet; si quis v. c. quot[e] estis quærat, nonne quinque, tot sumus alteri respondebunt; vel quot[e] annis nonne quot calendis, quot mensibus*) procreare potest? Memor sis illius quoque Phorm. 454 proverbii *quot[e] homines, tot sententiæ.* Potest dico; scilicet in sonis nihil impedimenti est, quominus tote sumus, quote mensibus, tote sen-

*) De his locutionibus vide Jordanum Hermæ vol. XVI. 47 sq.

tentiæ dicamus. Sed animus breviores formas præfert, quia hæ voces generalem quendam et a sensibus abstractum sensum habent, qui sive leviores sive breviores formas quasi vestes induat, neque correlativorum pronominum natura obliviscenda est, quæ ut sensu connexa sunt, ita sono altera se alteris accommodent.

Denique dicam de stirpibus neutris in ari et ali exeuntibus, quorum -ar -al nominativi ex casibus obliquis formati eodem modo sunt, quo arbor honor non ex arbos honos S litera in R mutata nascuntur, sed stirpem casuum obliquorum præbent; nam quomodo I finale perire potuit, quum in E immutatum superstes sit in vocibus, quales sunt marĕ, levĕ [masc. levĭ-s], brevĕ [masc. brevĭ-s]? Neque I interiit in fine nominativorum fel mel, qui sanscrito hari et græco μελι videntur congruere; sed fell- mell- [i. e. feln- meln-] stirpium propagines quædam in locum priorum nominativorum *felĭ *melĭ *fele *mele successerunt. Ratio enim nominativi et casuum obliquorum eadem erat quæ sanscritorum akshi et akshṇ- ‚oculus'; vide Frœhde BB VII 105. Denique lac[t] non ex lacte* lacti truncatum, sed item ex casibus obliquis lact- subnatum est.

Oscorum puf et ip, sive Latinorum ubi et ibi, sive græcorum ποϑι et *ιϑι referunt, et aut Vibiæ exsecrationis, auti tabulæ Bantinæ quid multum probent non video, quoniam non alia ratione atque ant post pust vel uti ut existimanda sunt.

Hæc habui, quæ dicerem ad probandum, ĭ finale non tolli, sed in ĕ extenuari. Verum ut ad id, unde digressa est disputatio mea, revertar, finale ī non nisi in bisyllabis vocibus jambicis correptum esse, probaturus voces singulas persequar.

1. Pronomen relativum ‚cui'.

Cui monosyllabum ex quoi quojī quoiei, quod in Scipionum inscriptione 34 invenitur, ortum est. De hac forma bisyllaba vide Buechelerum de ling. lat. § 296 Windek. et Brixii annot. ad Mil. glor. 351, Trin. 358. 558. Ejus ī finale sæpe quidem, sed a posterioribus tantum poetis corripitur ut vocis jambicæ bisyllabæ, nisi forte monosyllabum potius cui in duas breves dissolvitur; certe Buechelerus cŭĭ bisyllabum a quojei separare non

debebat, illud locativum esse, hoc dativum ratus [Windek. § 297], atque jure ei Windisch in notissima de pronomine relativo dissertatione [Curt. stud. vol. II 234] contra dicit.

2. Mihi tibi sibi; ibi ubi.

Suffixum -bī ex -bie contractum vedico -bhya pronominum respondet, vocativis Antonī Valerī, qui quin ex Antonie Valerie contracti sint dubium non est, comparatis. Soph. Bugge autem propter osc. sífeí tifeí umbr. tefe lat. tibei sibei ibei ubei libri qui inscribitur ‚Studia Palæoitalica‘ [1878] pag. 20 ī ei pronominum personalium pro dativi signo, ī ei vocum ibi et ubi pro locativi habet utrumque ex thematis in I exeuntibus translatum. Una et altera sententia ita conjungi possunt, ut priscum ie vel ī dativo ıəʌ locativo sing. tertiæ decl. accommodatum esse statuamus. Quomodocunque res se habet, vocalem ei i longam esse constat; sed apud Plautum ed Terentium non reperitur nisi in eis versibus, in quibus accentum habet, de quo vide Brixium ad Trin. 761, Mil. glor. 860, Spengelium ad Adel. 142; ubi ibi jambica textu Plautino omnino exsulare fortasse merito C. F. Muellerus Plaut. Pros. pag. 28 existimat; nam ita generalis et debilitata vocularum sententia est, ut mihi tibi sibi pronominum demonstrativa et singularis et quæ debilitari omnino nequeat; Pseudoli tamen v. 425 R *proficísci, ibi nunc óppido opsæptást via* satis certus esse videtur. Apud poetas ætatis aureæ I anceps est; in compositis sicubĭ necubĭ ubĭnam ubĭvis ubĭcunque correptum, in compositis ubīque ibidem ibīque longum est. Scenici quidem et ibīdem et ibĭdem usurpant, ut Lorenzius ad Pseud. 948 R *ibĭdem úna aderit muliér lepida* et C. F. W. Muellerus Plaut. Pros. pag. 29, Additam. pag. 6 disserunt locis allatis. Eandem correptionem utī, si primitiva forma est, in compositis utĭnam utĭque passum esse potest. Consuetam igitur jambicorum vocabulorum correptionem hoc quoque capite animadvertimus.

3. Si, quasi, nisi.

Vocalis I conjunctionis **si** longa est; quæ quum comparari soleat cūm svai osca et sve umbrica, tamen svai osco-umbrica

conjunctio αι græcæ potius, sī latina ει græcæ respondet. Aliud quoque discrimen vulgo negligitur, quod forma osco-umbrica ad stirpem orthotonam a literis sv incipientem, latina — item sibi, sē — ad stirpem encliticam, cujus S nunquam a V excipiebatur, referenda est, quibuscum conferas sanscr. tvayi et te, σοι pro τϜοι et particulam τοι, alias formas a Wackernagelio expositas in K Z XXIV 600 sq. Simplex conjunctio si quantitatem servavit; **nisi** et **quasi** jam apud Plautum correptum I finale habent ut voces bisyllabæ jambicæ; sed scriptiones nisei quasei juxta nise quase [Corssenus I 778] I longum nescio an reducant, quippe quæ sonum quendam medium inter E et I, rarissimo brevem, oculis offerant a lapidariorum vitiis dignoscendæ ut seibi pro sĭbi, faceiundum pro facĭundum; vide Ritschelii op. II 643. 775; paulo aliter H. Jordani Symb. crit. pag. 28.

4. I locativi.

Signum locativi ĭ est, quod in thematis in consonas exeuntibus in ĕ attenuatur, ut rurĕ in Horat. ep. I 7, 1: ‚me rúrĕ futúrum'. Contra ī, ab igni mari puppi aliis translatum invenitur in locativis Karthaginī Tiburī rurī lucī temperī; de luci adverbialiter, quando cum ‚primo claro publico' conjungitur, usurpato vide sis Corssenum vol. I 777 annot., Brixium ad Men. 1008, Spengelium et Dziatzko ad Adel. 841, Lorenzium ad Most. 519 atque præcipue Bergkium l. c. 146 sq.; de temperi, cujus stirps tempes cum gemella stirpe tempos quondam unum nota vicissitudine paradigma efficiebat [cof. dativum pignerī], consule eundem Lorenzium eodem loco et ad Pseud. 375. Ipsarum autem stirpium I vocali insignium I longum locativi aut ex iji vel eji contractum, aut ex ē indogermanico ortum est, de quo consulendus est Joh. Schmidt K Z XXVII 290. 304. Denique locativus secundæ declinationis inest in locutionibus: die quarti quinti septimi noni crastini proximi pristini, in quibus litera E vocis die ante accentum, ut supra dixi, correpta est, de quo vide Bergkium l. c. 413; quibus addo postrīdie et quotīdie, quorum hoc J. Schmidt K Z XXV 94 nimis artificiose ex quetitei die explicat, quum ad similitudinem vocis postridie videatur confor-

matum esse [Hermæ vol. XVI 48]; postridie ipsum in priore parte locativum continet debilis quæ dicitur stirpis postró — fortis enim est postéro —; fortasse etiam merīdie et prīdie locativum includunt, posterius ita demum, ut inter prī et præ eadem ratio intercedat quæ inter Deli et Romæ. Postremo varii secundæ et tertiæ declinationis locativi ad temporis notionem pertinentes effecerunt, ut illud adverbium, quod sanscrite hyas græce χθές sonat et in latina quoque lingua sine dubio S literam in fine habuerat, I adjungeret et heri factum ad ipsorum societatem accederet.

Finale ī corripitur apud scenicos non nisi in vocibus jambicis bisyllabis velut domĭ, sive genetivum sive locativum significat; nam nostra nunc nihil refert, utrum I genetivi et I locativi inter se diversa sint, an I locativi partes genetivi susceperit, ut jam Boppius gramm. compar. I § 184 in. et § 200 docebat rursusque hodie multi arbitrantur. Mahlowii saltem explicationem, qui l. c. 165 equi genetivum ad equie*) referat, quamvis ingeniosam non satis probabilem esse puto, neque vocalium discrimen, quoniam ei minime a genetivo abhorret [vide Buecheler-Windek. § 174. Kuehneri majorem gramm. ling. lat. I 283. Neue I² 84. 93], satis magnum ad formam genetivi propriam secernendam.

5. Infinitivus passivi.

De quantitate perpauca monenda sunt, nam apud Plautum et Terentium syllaba I finalis non nisi in vocibus jambicis bisyllabis corripitur, ut darĭ loquĭ patĭ.

Ad conformationem vero infinitivi explicandam Corssenus II 478 sq. a forma darier, quippe quæ longior coque prior sit, proficiscens in *da-s-ie-se eam dividit: -se accusativum pronominis reflexivi esse, ut tum temporis omnes fere putabant, et -s- suffixi neutralis -as fragmentum quoddam ratus, -ie- literis ab -ia suffixo ut materie stirpe a materia ductis. In qua explicatione quod E

*) ut jam Benfey in dissertatione quæ de genetivo singulari agit [1874] fecerat.

longum finale interire posse Corssenus censet, id legibus latinæ linguæ, quæ ne corripit quidem ejusmodi E, prorsus repugnat. Sed hac violenta mutilatione non contentus, etiam S vel R finali avulso, pronomen sē ad nihilum redigit; quo facto ie vocales quæ in fine sunt legitime in ī contrahit — tantæ molis erat, dari ex dasiese interposita darier forma extorquere. Deinde Thurneisenus in dissertatione, quæ de origine et formatione latinorum verborum agit, quorum prima persona in io finitur, p. 46 formæ agī præmittit formam agiē, aut locativum stirpis in io desinentis aut dativum stirpis in I, et literam R ad passivam notionem accuratius significandam additam esse putat, quod hodie omnes consentiunt; antiquiorem enim darier quam dari formam esse, nisi quis judicio longiores formas eo ipso brevioribus tempore anteire præoccupatus fuerit, nemo sibi persuadebit. Hoc contra erravit, quod agiē sive continuo sive agiĕ interjecto in agī bisyllabum contrahi posse opinatur; neque enim agerĕ ex agerē correptum esse antea vidimus.

Itaque ego quoque a breviore forma agi proficiscens, ī ut in nominibus tertiæ declinationis dativi signum esse judico, ut agi latinum vedico infinitivo aje congruere videatur [v. St Z XIV 326]; item *vorgi pro vergi, vorti pro verti, porsci pro posci vedicorum vṛje vṛte pṛcche; dici jungi si vocalem radicis longam et nasalem infixam negligas, vedicorum diçe yuje commonefaciunt; nam facile infinitivi, quamquam a radice ducti, præsentis notione concepta ejus insignia assumere poterant. Casus quidem dativus infinitivo formando peraptus est, ut græci infinitivi δομεναι δουναι θειναι alii, quos dativos esse nemo negat, satis monstrant. Sed in sonis difficultas aliqua posita est, in componendis scilicet et latina I et græca αι vocalibus, quam sic fere tollendam esse censeo: dativus tertiæ declinationis duabus vocalibus insignitur: ī et ē, quarum ē stirpibus in consonantes exeuntibus convenisse, ī in i exeuntibus arbitror; quod non solum per se verisimile est, sed etiam exemplis et inscriptionum ut Junone matre patre Jove ectr. et loquendi formularum ut joure deicundo, solvendo ære alieno probatur [v. Buechelerum l. c. 55. Windek. § 276 sq.]. Jam vero ut in genetivo sing. stirpes, quæ consonis finiebantur, alteri stirpium generi suas formas obtruserunt, quo priscum patris

et igneis [ignīs] discrimen evanuit, ita vicissim in dativo stirpes quæ vocalibus terminantur jus sibi arrogaverunt, ut omnium dativus I finiretur et patrē matrē obsolescerent. Quod infinitivis quoque passivis accidit, quo tempore dativos esse nondum obliti erant Latini, ut pro agē proferrent agi. Hoc ergo solum agerĕ ab agē agī differt, ut illud locativus sing. ages stirpis, hoc dativus radicis ag sit, activi vel passivi sensu non literis sonisque, sed contextu sententiarum intellecto.

Primæ contra secundæ quartæ conjugationum infinitivi act. præsentis ex ea proportione, quæ tertiæ conjugationis infinitivum ceterasque verbi finiti formas devinxit, sic fere subnati sunt, ut analogia, quæ inter *regĕmus *regĕtis [—regimus regitis] et regĕre erat, dămus dătis formis infinitivum dăre adjungeret, vel laudāmus laudātis infinitivum laudāre. Passivi autem infinitivus tertiæ conjugationis, quem extra omnem analogiam ex lingua primæva relictum usus et consuetudo conservabat, congruentes in tribus ceteris conjugationibus formas procreare non potuit, sed ex agi et dare laudare formis commistos dari laudari infinitivos. Quocirca agier quoque similem agere et agi formarum mixturam et confusionem esse ego conjecerim, quamquam quomodo facta sit accuratius dicere non ausim; antiquas tamen formas hoc agier similiaque esse nego satis audacter [v. St Z XIV 318].

6. I imperativi sing. 2 et perfecti ind. sing. 1.

I imperativi quartæ conjugationis longum est ex I et E contractum. Imperativus autem i ad similitudinem ceterorum verborum formatus est pro idhí indogermanico; confer ἴϑι et ihí, quibus *ide latinum responderet. — Perfecti quoque indic. 1 sing. vocalis I finalis longa est, de cujus natura silere præstat. Sed corripi illud I et hoc I apud Plautum et Terentium non nisi in vocibus jambicis bisyllabis potest, velut abĭ redĭ, dedĭ stetĭ.

IV. Formæ quæ in O terminantur.

1. O dativi ablativi sing. secundæ decl.

Dativus haud scio an in oi desierit velut *agroi, illud sane populoi Romanoi uno et dubio loco Marii Victorini grammatici

niti docet Jordanus l. c. 241 sq.; formas quoque cameloi caproi ab eodem grammatico allatas Buechelerus l. c. 55 [W. § 272] et Jordanus ficta paradigmata esse censent. Sed syllabam finalem oi Latinos quoque habuisse oi Oscorum, ῳ Græcorum, āi zend. et pers., -smāi sanscr. testantur, quamquam, quanam lege ōi ō factum sit, ego non possum indicare. Neque minus mihi religionis Mahlowius movet, qui dativi ō ad *ōje propter -āya sanscritum l. l. 91 referat. Verum non de origine formarum, sed de quantitate sola mihi in animo est disserere.

Ablativi quoque O longum est, ortum ex -ōd i. e. -āt sanscr. et ως græc. adverbiorum, velut καλως pro καλωτ, cujus ς postea additum est.

Dativi et ablativi O longum apud Plautum et Terentium non nisi in vocibus jambicis bisyllabis corripitur velut virŏ bonŏ malŏ domŏ; quæ correptio quum in vocabulis cito modo quasi concreta remanserit et substiterit, Joh. Schmidt K Z XXVII 293 et Mahlowius l. l. 86, qui o finale latinum semper corripiendum esse censent, pro instrumentalibus, non pro ablativis illa vocabula habent; instrumentalis enim secundæ declinationis antiquitus O longum nudum in fine habebat, ablativus D sequenti protectum. Ego instrumentalis ullum vestigium adhuc in latina lingua latere propter duas causas nego: primum quod ablativi quoque, qui locum a quo indicant, a scenicis corripiuntur ut Adel. 198 dómŏ me erípuit, verberávit; deinde quod **cito modo,** quamvis raro, longa syllaba finali inveniantur; atque modō habes Amphitr. 646 *ánimo | forti átque offirmáto ; id modó si mercédis | datúr mi, ut* ect. [bacch.] Andr. 630 *Dénegandí modō quís pudor paúlum adest.* Multos alios locos Muellerus Plaut. Pros. p. 35 sq. congessit, qui num omnes conjecturis inversionibus intercalationibus aggrediendi sint vehementer dubito, licet modō rarius quam modŏ esse libenter confitear propter sensum particulæ figuratum et ab etymologia deflexum. Adverbium citō legitur Andr. 474 *Hui, tám citō? ridículum! postquam ante óstium | me audívit stare.* Haut. 375 *Sed quám citō sunt cónsecutæ múlieres.* In ætate autem aurea solum citŏ modŏ reperiuntur. Atqui inter citō modō et citŏ modŏ non plus interest, quam inter mihī tibī sibī, quæ et ipsa rariora sunt, et mihĭ tibĭ sibĭ, inter abī jubē valē, quæ

Brixius in præfat. ad Trin. p. 14 locis comprobat, et usitatiora abĭ jubĕ valĕ, inter novō modo, quod post scenicos unum legitimum erat, et novŏ modo Phorm. 972 ectr. ectr. An vero quŏ modō Merc. 331 *huic pérsuadere quŏ modō nunc pótis siem* ablativi, quŏ modŏ instrumentales tibi videntur? [v. Buecheler-Windek. § 238]. An cum Mahlowio p. 86 dativos in *vírŏ mé malŏ málĕ nuptám* Men. 602 pro instrumentalibus venditare audes? Quam explicationem tum demum amplectar, quum vīrŏ Gift, mālŏ Apfel mihi usquam ostenderit vir doctus. Immo bisyllaba jambica vocabula sunt omnia, usitatissima omnia, aliquot etiam generali et latius patenti sensu, cui levior forma maxime conveniat. Hanc correptionem e medio tollere etymologica ratione non possumus, quamvis recte O in fine latinarum vocum non magis corripi quam A E I contendamus. Sed supersunt adverbia nonnulla, quæ brevi lustranda sunt.

2. Adverbia.

Immo illico ergo in Plauto et Terentio semper O longum præbent vel præbere possunt. Illud enim ergŏ Ovidii, qui primus corripuit, et si qui alii post Augustum poetæ O finale spondaicorum adverbiorum corripuerunt [v. Kuehneri maj. gr. ling. lat. I. 66], ad similitudinem adverbiorum citŏ modŏ corripuisse puto; de immo consule Muelleri Plaut. Pros. p. 37.

Cedo quod Kuehnerus l. l. I. 67 ex *cedito contractum esse dicit, errare mihi videtur; nam particula ce eadem est quæ pronominis hun-ce, do eadem quæ adverbii endo, ut conjunctæ significent herzu, et finale do, si quidem natura longum est, eadem lege breve fit qua modo et cito. Cedo anceps est propter cæsuram legitimam et personæ mutationem Andr. 705 *Sat hábeo :: quid faciés? cedó :: dies híc mi ut satĭs sit véreor?*

Endŏ præpositionis, cujus modo mentionem feci brevem syllabam finalem enclisis eadem effecit, quæ breves ab sub præpositionum vocales prorsus sustulit, atque fortasse quispiam nunquam omnino longam fuisse ex græcis cognatis ενδον ενδοι, slavico do coniciat, nisi germanicum dō, nostrum zu longam rursus vocalem præbeat, quam conjunctio **quando** [Hec. 512 *quandó*

nec gnátus néque . . .] conservasse videtur; quando enim ab initio vocali finitum esse post ea, quæ Th. Bergkius lib. de D finali p. 29 et novissime H. Jordanus vindic. serm. lat. antiqu. [1882] p. 16 disseruerunt, omnes fere concedent; **intro ultro citro retro porro** longam syllabam servant vel saltem ancipites sunt v. c. Laber. 125 *porró quirites líbertatem pérdimus,* Mil. glor. 778 *ítaque omnis se ultró sectári . . . ,* Afran. 63 *qui altró dent, œtas íntegra est, formaé satis* ectr.; **oppido***) nusquam ita collocatum inveni, ut quantitas syllabæ finalis appareret; **quŏque** neque instrumentalis est neque prioris syllabæ correptionem accepit, sed ex mea quidem sententia que particulam iteratam habet; *queque enim in unam vocem conflatum, ve in vo ut in *quelo *quolo colo mutato, quŏque factum est.

3. Præpositio pro.

Præpositionis pro antiquior prōd forma servata esse in prod-ire, prod-esse videbatur, quam Ritschelius libelli de D finali p. 96 a prode repetebat antiquissima forma, quæ omnem monumentorum memoriam antegressa nihilo secius novissima demum latinitate in lucem prodiisset. Ritschelium secutus Savelsbergius libelli de partic. lat. pag. 4 sq. prōd prō prŏ per gradus quosdam extenuari et mutilari negavit, contra prōlogus prōpola nomina, quorum prima syllaba longa a græco exemplari mire discrepat, adeo eum moverunt, ut omnia prō latina, sive simplicia essent sive priores compositorum partes, posteriore quadam productione effecta opinaretur. Atque hoc ei consentio, p r o breve, quod sat magna compositorum vis jam apud antiquissimos latinæ linguæ autores præbeat, primigenium neque diversum a græco προ et sanscrito pra esse; sed non habuit, cur non pro longum ætate et dignitate par putaret, quum ipse πρωι πρωην Græcorum commemoraret. Duas formas, brevem et longam, hæc præpositio ut do habet, quarum longa Latini et simplicis loco semper et in compositione sæpius utebantur.

---

*) Oppido et quoque ex *oppidom et *quomque detrita esse Ribbeckius libri de partic. lat. pag. 23 sq. 44 censet, quod commemorasse sufficit.

Prōd superest; quæ si vera forma fuisset, *prodhibere *prodimere pro prohibere prōmere nos non deficeret, quoniam redhibere redimere habemus; non ego dubito, prōdeo prōdis prōdigo prōdigis ectr. secundum rĕdeo rĕdis rĕdigo rĕdigis ectr. formas, quæ ipso contrario sensu conjunctæ essent, fictas judicare, quibus fictis prod etiam, ubi non erat exemplar, hiatu supplendo adhiberi posset, ut in prodes prodest; rĕd enim priscam formam esse reddo redduco verba testantur et conjunctio sĕd prorsus gemella; longam vocalem sēditio sola apud epicos eo præbet, quod aliter in hexametro inferri nequit [vide Savelsbergium l. l. 4]. Redi rede· redo vero si primitivam formam propter redivivus vocem cum Savelsbergio l. l. 4 annot. et Frœhde BB. III 294 existimabimus, hoc nihil refert; a vocali sequentis verbi vocalem præpositionis finalem haustam esse cogitabimus. Neque cognata quidem Oscorum dialectus, quamvis constanter D signum ablativi ante omnis generis literas defendat, *prud-hipid, *prud-hipust, sed pruhipid pruhipust format; Osci igitur solam pru pro formam ceteris linguis concinentem noverunt.

4. O nominativi accusativi dualis IIæ decl.

Dualis, servatus in **ambo** αμφω **octe** οκτω, O primitus longum habet. Sed **duo**, δυω Homeri, quum nihil constet apud scenicos de quantitate et ipsi poetæ ætatis aureæ semper duŏ dimetiantur, O finale etiam apud priores breve habuisse videtur, quod eo magis concedere possum, quo sæpius jambico vocabula usu trita correptionem syllabæ finalis accepisse vidimus.

5. O pronominis personalis ego.

Pronominis **ego** syllabam finalem antiquitus longam fuisse ex εγω græco intelligi potest; quamquam quum scenici poetæ sæpissime, tum classici semper fere egŏ dimetiuntur [vide Kuehneri maj. gr. lat. ling. p. 67. 378] ex consueta illa jambicorum vocabulorum correptione. Sed nihil est, cur non versum, qui egó præbet, ceteroquin neque a rebus neque a verbis metrove vitiosum, pro corrupto habeamus et a Plauto abjudicemus; nam

quum mihi tibi sibi pronomina apud scenicos et jambos et pyrrhichios formare constet, egó et égŏ dimetiri poetis licuit; v. c. Men. v. 1125 [V. 1107] *mí germane gémine frater sálve, egŏ sum Sósicles* neque salveto neque ego is sum scribendo tentare nolim, vide præterea p. 29 ad. Men. 900. Totam exemplorum nubem, quæ Muellerus Plaut. Pros. p. 30—35 congessit, excutere alienum ab hoc loco est. Hoc tamen moneo, ex Mil. gl. v. 1138 clausula ét egŏ vos, cui permultum Muellerus in Additam. p. 7 tribuere videtur, non semper, sed plerumque ego pyrrhichium efficere, probari posse; quis enim ex senariorum clausulis nullus sum, desertus sum, tempus fert ectr. S finale nusquam et nunquam positionem facere coniciat?

6. O nominativi sing. tertiæ decl.

Syllabam ō finalem, quam propter linguarum concentum jam indogermanicam fuisse nunc scimus, non nisi in vocibus jambicis bisyllabis apud scenicos corripitur, sæpissime homŏ, tricŏ Lucil. XI 3, sed ictu in fine posito: homó Adel. 218. Haut. 77. 205. Poetæ classici autem ō finale nominum propriorum corripuerunt, quippe quæ sæpe hexametro reluctarentur ut Pollio, Scipio, quo factum est, ut metro postulante etiam appellativorum finalis corriperetur; vide Kuehneri major. gramm. lat. ling. I pag. 67.

7. O præsentis et futuri 1. sing.

Hæc syllaba finalis a scenicis corripi solet in vocibus jambicis bisyllabis velut agŏ volŏ dabŏ erŏ; sed ictu in fine posito: voló Adel. 555. Poetæ ætatis aureæ finalem non modo vocum jambicarum, sed etiam aliarum corripiunt metro postulante; tollŏ desinŏ e. q. s. a.

8. O imperativorum qui -to et -mino terminantur.

O finale formæ -to primitus longum fuisse -τω græcorum ostendit, quamquam pro tertia persona sola usurpatur. Atque ex formis oscis ut factud líkítud actud intelligimus, D finale intercidisse, quam jacturam ablativus quoque sing. secundæ declina-

tionis fecit, et eodem modo, quo hujus ablativi sing., imperativi syllaba finalis corripi potest brevi priore v. c. dătŏ Bacch. 84, quæ correptio, ut sæpius vidimus, postea latius patebat.

Forma quædam conspicua imperativi passivi secundæ et tertiæ personæ [de qua Lorenzius ad Pseud. 837, Kuehneri maj. gr. lat. ling. I 443, Corssenus II 96 consulendi sunt] his tribus Plauti locis invenitur:

Pseud. 859 R. *Sí quo hı́c gradietur, páriter tu progrédimino*
Epid. 695. *Nímis erunt obnóxiossæ : : fácto opere arbitrámino*
Truc. 198. *Vise íllam : atque opperímino : jam exíbit, nam lavábat*

quibus ex locis quum quantitas syllabæ finalis non cluceat [de cæsura ultimi versus vide pag. 15], nihil impedit, quominus longam definiamus; tum quam rationem inter activas formas legite et legito animadvertebant, eandem Latini in mediopassivo genere inter legimini et legimino instituerunt.

V. Formæ quæ in U terminantur.

Ex neutris in U desinentibus, quæ pauca tantum sunt, sæpissime leguntur **cornu genu veru**, quorum finalem syllabam longam esse multis poetarum locis constat [vide Kuehneri m. gr. lat. ling. I 241]; nam de **diū noctū** adverbiis jam pag. 66 dixi. Illæ autem neutrorum formæ ex *cornou *genou *verou ortæ vestigia ‚fortis' quam de Saussure l. l. 198 sq. vocavit declinationis luculenta præbent, quæ nominativis masc. gen. ut zendico bāzāuš maxime conveniunt. Sed pluribus hæc persequi multum dissertationis et fortasse doctrinæ meæ fines transgrediatur.

Quæ scripsi benevole accipite quæso.

Vita.

Joannes Stadelmann Lucernensis natus sum Lucernæ Idibus Decembribus anni 1860 parentibus Joanne et Anna e gente Wiederkehr. Postquam primis literarum elementis in ludo literario Lucernensi imbutus sum, puer tredecim annorum gymnasium Lucernense adii. Ibi per sex annos ad sextam classem provectus, lyceum petivi quod eo tempore maxime florebat auspiciis viri doctissimi **Albini Kaufmann**, quem in flore ætatis a. d. III. Id. Mart. a. 1884 præmatura morte e vita cessisse lugent discipuli et amici. Biennio post maturitatis testimonium adeptus autumno anni 1881 Basileam me contuli, ut in studiis potissimum antiquitatis et in arte linguas comparandi tempus operamque collocarem. Audivi per triennium viros illustrissimos hos

J. Burckhardt, Hagenbach, Mähly, Misteli, Wackernagel

quibus semper gratam memoriam servabo.